



Matt^o Lee

500
1704
1704

THE
MISCELLANEOUS
WORKS

Of the late REVEREND and LEARNED
CONYERS MIDDLETON, D.D.

Principal Librarian of the University of *Cambridge*.

IN FIVE VOLUMES.

VOL. IV.

THE SECOND EDITION.

LONDON,

Printed for R. MANBY in the *Old Bailey*, near
Ludgate-hill; and H. S. COX in *Pater-noster Row*.

MDCCLV.

CONTENTS

OF THE

FOURTH VOLUME.

- I. **O**RATIO de novo Physiologiæ explicandæ munere ex celeberrimi Woodwardi Testamento instituto. Habita Cantabrigiæ in scholis publicis. P. 1
- II. De Latinarum literarum pronuntiatione Dissertatio. 21
- III. Bibliothecæ Cantabrigiæ ordinandæ methodus quædam; quam Domino Procancellario Senatuique Academico considerandam & perficiendam officii et pietatis ergo proponit. 45
- IV. De Medicorum apud veteres Romanos degentium conditione Dissertatio; contra viros celeberrimos Jac. Sponium & Ric. Meadium, M. DD. Servilem atque Ignobilem eam fuisse ostenditur. 83
- V. Dissertationis de Medicorum Romæ degentium conditione ignobili et servili, contra Anonymos quosdam notarum brevium, responsionis, atque animadversionis auctores, Defensio 121
- VI. A Treatise on the Roman Senate, in two parts. The first part contains the substance of several letters, formerly written to the late Lord Harvey, concerning the manner of creating Senators, and filling up the vacancies of that body in Old Rome. The second part, which is now added, contains a distinct account, 1. Of the power and jurisdiction of the Senate. 2. Of the

C O N T E N T S.

the right and manner of convoking it. 3. *Of the places in which it was usually assembled.* 4. *Of the legal times of holding their assemblies.* 5. *Of the different ranks and orders of men in the Senate, and of the forms observed in their deliberations.* 6. *Of the nature and force of their decrees.* 7. *Of the peculiar dignity, honors and ornaments of a Roman Senator.* 177

VII. *Preface to the translations of Cicero's letters to Brutus, and of Brutus to Cicero.* 305

O R A T I O

D E N O V O

Physiologiæ Explicandæ

M U N E R E,

E X

Celeberrimi WOODWARDI Testamento

I N S T I T U T O :

Habita CANTABRIGIÆ in Scholis Publicis a
CONYERS MIDDLETON, S. T. P.

Academiæ Cantabrigiænsis Protobibliothecario &
Lectore ibidem WOODWARDIANO.

O R A T I O

D E N O V O

PHYSIOLOGIÆ EXPLICANDÆ

M U N E R E, &c.

CUM res præclarè gestæ, aut ad communem utilitatem sapienter institutæ, apud omnes ferè gentes, solenni hominum cœtu ludisque celebrari, & posteritatis memoriæ commendari solerent; tum muneris hodierno die instituti dignitas, quæ hunc doctorum virorum conventum frequentiamque congregavit, id etiam meritò flagitare videtur, ut non sine publicâ quâdam gratulatione jam primùm suscipiatur, & ad sempiterna literarum commoda solenni oratione consecretur. Nam si honoribus artes aluntur, & si ab artium literarumque gloriâ Academiæ nostræ vitam spiritumque ducunt, nihil fanè Academicis lætabilius, nihil gratulatione dignius accidere potest, quàm præmia literarum studiis alendis publicè assignata.

Quamobrem gratulari vobis imprimis liceat nova hæcce Almæ Matri addita ornâmenta; novos hosce, quibus ipse nunc fungor, honores: non enim meos esse putetis, quòd ad me

primùm delatos cernitis ; vestri sunt, Academici ; vobis in commune propositi ; vestrumque certè aliquis hos ipsos laborum suorum fructus posthac percipiet ; me propterea doctior, digniorque, quod hoc jam præmio constituto, atque hâc tantâ scientiæ supellectile comparatâ, studio & meditatione instructior accedat necessè sit.

Opinionem quandam apud homines doctos esse sentio, doctrinæ artiumque bonarum studia hebescere per hosce annos & languere cœpisse : idque iniquæ nostrorum temporum conditioni, factionibusque istis, quæ Rempublicam tam diu vexârunt, adscribendum plerique censent ; quibus juvenus nostra infecta penitus atque imbuta, non doctrinâ sese ornare, non artibus instruere curat, nisi eis, quibus ad honores, Magnorumque gratiam viam sibi muni cernit, partium scilicet, non literarum studiis.

Ego verò crediderim potius, Academici, veterem istum studiorum ardorem idcirco jam paulatim deferbuisset, quòd artes fere omnes nostrorum hominum ingeniis ita elaboratæ & excultæ & ad illud quasi culmen & fastigium evectæ sunt, ut nullos ultra progressus capere posse videantur : ita ut præ gloriæ fructûsque assequendi desperatione, operæque & temporis perdendi metu, cursum multi institutum omittere, aliamque sibi vitæ & fortunarum viam investigare

vestigare cogantur. Artiumque adèdò Victrix Alma Mater, literarum penitus orbe peragrato, otio ferè languida & mœsta, fortem jam suam deslere videtur, quòd nihil ultra restet debellandum, nec alia scientiarum regio peragranda.

At ecce Vobis novus jam tandem Orbis com-
monstratus ! novi Scientiæ campi patefacti ! &
digni illi quidem, quibus in colendis industriam
ingeniumque vestrum exerceatis, cùm tot erudi-
tionis instrumenta, tantam Studiorum novorum
materiem, in hoc literarum emporium impor-
tari inde videatis.

Has nobis regiones, tantis frugibus fœtas,
divitiis refertas aperuit, *Woodwardus* ; & ad
eum finem aperuit, ut hac præmiorum ubertate
invitati in nostram illas ditionem redigeremus.
Haud aliter populorum duces, quas sibi terras
subigendas, occupandasque destinaverant, ea-
rum terrarum fruges, mercesque publicè ex-
ponere solitos accepimus, quo studium suis
animosque ad labores perferendos adjungerent.

Woodwardi autem nomen, cujus tanta in nos
beneficia hodierno die celebramus, ad sese ora-
tionem meam vocat, & de laudibus ejus prædi-
candis admonet. Nihil enim æquius, quàm
cujus ex liberalitate hoc ipsum dicendi munus
ortum atque originem duxerit, ut ab eo po-
tissimùm ornando dicendi etiam materiem ar-
gumentumque ducamus.

Hunc laudis & gloriæ fructum illustria clarorum virorum facta tanquam mercedem requirunt ; non tam mortuorum famæ debitam, quàm viventium utilitati accommodatam, quò nos aliorum laudibus, quasi gloriolæ stimulis admotis, ad virtutes eorum affequentas concitemur.

De homine verò tam celebri, tam ab omnibus cognito, & in urbe amplissimâ, oculisque civium vitam omnem degente, quid omnino novi & inauditi proferri poterit ? Quid, in quo non Vos ipsi dicentis vocem prævenire & antevertere queatis ? Etenim si, quod de Medico ante omnia prædicandum, de Medicinæ scientiâ & laude ejus præstanti dicerem ; at quis ignorat, *Woodwardi* nomen inter summos Artis Professores principem semper locum obtinuisse ? multosque hoc ipso tempore superesse novimus, qui quod vivant valeantque *Woodwardo* se uni debere profitentur.

Si, quod nos potissimum commovere debet, Doctrinam ejus excellentem multiplicemque celebrarem ; at scripta ejus, omnium manibus trita, omniumque pene in linguas conversa, illam jam diu demonstrant.

Si, quod hujusce diei celebritas postulare maximè videatur, Liberalitatem ejus animique magnitudinem commemorarem ; at hoc ipsum munus, quo jam fungor, illud omne vel me
tacente

tacente declararet; atque hæc nostra Academia sempiternum munificentiae ejus monumentum extabit.

In his autem egregiis *Woodwardi* virtutibus, quas omnibus notas, & cum nonnullis etiam communes habuit; habuit tamen in singulis ita proprium suum quiddam & peculiare, ut quisquis illo familiariter usus esset, novam facile & præcipuam laudis materiem elicere inde possit.

In Medicinâ enim nonnulla, si non ab eo inventa, at auctoritate ejus commendata, & in communem usum recepta, magni ad vitam hominum conservandam momenti esse reperiuntur. Ingenio autem uti in omnibus eleganti erat, & polito, sic præscripta sua ita temperanda semper & administranda curavit, ut viri suam non certius modò citiusque obtinerent, sed ut nausæ simul minus & fastidii ægris & languentibus darent. Quod verò maximum est; non artem suam ad ambitionem avaritiamve accommodare; non magnorum gratiam divitumque copias obsequiis captare; sed pauperibus potius opem benevolam & gratuitam præbere solebat.

Vidi ego, Academici, fores ejus, tanquam *Æsculapii* quoddam vestibulum, debiliū turbâ refertas; quibus si vires modò suppeterent, ut ejus in conspectum venirent, de reditu parum cogitasse videntur; tantam in eo uno valetudi-

nis recuperandæ spem fiduciamque posuerant. Nec spes quidem illos sæpe fefellit ; nam tantâ ille omnes tum patientiâ tum comitate exceperit, quasi non curare solum, sed placere etiam ægris studuisset ; nullâ sibi laboris mercede propositâ, nisi quam animi conscientia suppeditaret ; & vel rei ipsius famam comprimere cupiisset, nisi famam istam plures ad se ægrotos invitaturam, pluresque adeò benefaciendi occasiones daturam sibi sperâisset. Haud mirum igitur, quod quibus artibus Æsculapius in Cœlestium numerum evectus fuerit, iisdem *Woodwardus* miseris hisce quasi præfens quidam Deus haberetur.

Doctrinam autem suam non Artis suæ angustis terminavit ; neque eâ contentus fuit, quæ ad summi Medici famam satis esset, nisi omnem istam cognitionis & scientiæ ferè infinitatem animo comprehendere ac complecti potuisset. Quoties eum in Bibliothecâ suâ, quam instructissimam habuit, de Artium omnium studiis ita disputantem audivi, ac si disputandi copiâ & ubertate vel librorum suorum copiam varietatemque adæquare conaretur ? Ita tamen de singulis eruditè ; ac si in arte illâ, de quâ differebat, enutritus, eamque unicè professus esset ? In rerum autem Romanarum cognitione tam curiosè versatus est ; ut me, qui huic ipsi rei non operæ certè parum studiique dedissem, quique Romæ etiam fuissem, ab homine occupato, aliudque agente, tanto perè superari non tam molestè quidem ferre, quàm mirari solem.

Quic-

Quicquid verò in reliquis studiis profecerit ; in Physicâ certè neminem sui similem paremve habuit : eam autem velim Physicæ partem, quæ in Fossilium, uti vocant, rerumve, quas Terra intùs in venis inclusas contineat, naturis explicandis versatur. Viderat ille ex hâc ipsâ Academiâ *Newtonum*, divino planè ingenio hominem, cuncta quæ supra sunt, quæque adspectabilem Mundi fabricam constituunt, sicuti provinciam suam propriam occupâsse, & accuratè admodum explicuisse ; Deumque inde Mundi ipsius conditorem, Rectoremque demonstrâsse. Noster igitur, ingenio haud dispari, eodemque naturæ investigandæ studio incensus, at contrariâ viâ insistere & sub terras penetrare cogebatur : Nec minora tamen inde rerum miracula eruit ; Diluvium Universale ; Sacrarum literarum fidem ; Deum.

Sic jam duplex quoddam contra Atheos conficitur tandem argumentum ; quod, *Quercus* ejus *Virgilianæ* ad instar, quantum auras ad æthereas, atque in altum caput attollit, tantum deorsum pariter, atque ipsâ in Tartara radicibus tendit.

Sic veterem istam *Orphei* fabellam *Woodwardum* quodammodo egisse vidimus ; quamque uxoris usque loco adamaverat, Scientiam quasi ex inferis evocâsse.

Dumque *Newtonus* ex Solis naturâ perspectâ, lucis simul naturam explicuit; hic noster ex caligine ipsâ, mediisque è tenebris elicit lucem.

Alii rerum naturalium investigatores Fossilia ista non nisi ad corporis curationem ususque medicos conquirenda & adhibenda existimârunt: *Woodwardus* autem altiora longè sapiens, eaque tanquam nobilioris studii instrumenta considerans, ad animi medicinam cultumque princeps adhibuit. Hâc semel cogitatione impulsus nullam sibi requiem dare potuit, donec omnia, quæ e Terræ visceribus rariora ubivis gentium effodiantur, infinito sumptu & labore conquississet & in capsulas suas condidisset. In illâ Arcâ, Quicquid India ferè utraque pretiosi habeat, non ad luxum, vitæque delicias; sed ad animi pastum, ad scientiam repositum; in illâ, auri argentique pondus, non ad quæstum avaritiamque, sed ad Philosophiam, ad Naturæ contemplationem reconditum videatis. Hanc enim rerum rarissimarum collectionem, non ostentationis aut gloriolæ, sed argumenti gravis magnique illustrandi causâ comparaverat; quò Mosaicæ scilicet Historiæ fidem, Diluvii universalis veritatem, resque in eo omnes fusas quasi communiter inter se & liquefactas ostenderet; In quâ quidem disputatione, hæc ille omnis generis Fossilia, quasi totidem argumenta & testimonia exposuit. Quicquid enim
in

in istâ Universæ Naturæ perturbatione accidisse credibile est, illud omne ex rebus ipsis ab eo collectis perspicere jam atque oculis planè intueri licet. Hic res naturâ & genere diversissimas, animatas cum inanimis, marinas cum terrestribus confusas, & in unum corpus conflatas cernimus : quibusque rebus Natura non nisi imum Oceani fundum, uti nativam sedem, assignâsset ; eas hinc tum ex summis montium jugis, tum ex imis sæpius radicibus effossas contemplamur : Hinc tenera plantarum pisciumque corpora in lapidibus jam indurescentibus inhærentia atque inclusa, formam sui & effigiem vel durissimis saxis impressisse admiramur : Quod fieri quidem omnino potuisse, nisi ex Diluvii omnia dissolventis permiscentisque vi, incredibile fanè videtur.

Hanc autem viri docti sententiam libri ejus ingeniosè admodum & eruditè conscripti confirmant : de quibus, cùm dissertationibus ex hoc ipso loco habendis materiem sint aliquando præbituri, nihil jam amplius dicam, quàm quod omnium plausu excepti, omniumque pæne in linguas conversi, *Woodwardi* nomen per orbem literatum clarum & nobile reddiderunt.

Mihi enim credite, Academici, cùm in exteris gentibus versarer, plura de hoc uno homine a me fuisset quæsitâ, quàm, *Newtono* excepto, de reliquis fere omnibus Angliæ nostræ literatis :

literatis : tanta tum scriptorum ejus, tum rerum, quas ex omnibus planè locis coëmerat, fama per cunctas nationes pervaserat.

Pudet ferè dicere, hunc talem tantumque virum ad illud doctrinæ & virtutis fastigium propriis viribus & ingenio, absque hac nostrâ disciplinâ pervenire potuisse : & ejusmodi homines, si vel numero plures vel temporibus sæpius existerent, vereretur profectò, ut Academiæ nostræ inutiles meritò censerentur. Sed rari admodum tam excellenti naturâ, & in singulis ætatibus vix singuli reperiuntur ; atque is ipse, de quo dicimus, egregiâ suâ in hanc Academiam liberalitate, quanto eam Reipublicæ ornamento esse censuerit, moriens declaravit : Declaravit, inquam, illud sibi unum ad perfectam laudem defuisse ; quod ad naturale illud ingenii bonum non institutio etiam Academica accessisset.

Multos cognovimus, viros quidem bonos & eruditos, qui ita sese literarum studiis abdiderunt, ut nihil inde ad communem hominum fructum offerre potuerint : At *Woodwardus* noster, cùm vitam civibus suis quàm maximè fructuosam atque utilem degisset, eandem quoque curam vel moriens non dimisit ; sed quò patriæ plurimum etiam in morte prodesset, studiosè prospexit. Hoc consilio armaria ista præclara, a curiosis tantopere celebrata, omnique Fossilium genere referta, immensam quandam

dam studiorum & scientiæ supellectilem, nobis testamento legavit: quodque in vita carissimum habuerat, illud nobis conservandum, nostræ fidei ac tutelæ mandandum curavit: Thesaurum, vel Regum gazis anteferendum; quippe qui nec auro redimi, nec pretio comparari, nec nisi summo studio & industriâ hominis tum eruditi, tum divitis, atque in illo uno & operam & pecuniam etiam omnem collocantis conquiri & colligi poterat. Et quò ad publicos demum usus, quibus ille unicè studuerat, promptior paratiorque hic rerum thesaurus esset; Custodem ei atque Interpretem, qui Fossilium præcipuè scientiam Juventuti Academicæ explicaret, stipendio amplo & liberali instructum constituit.

Hoc quàm præclarum Academiæ nostræ ornamentum, quod in nullâ aliâ Academiâ reperitur? Quàm præclarum pariter de disciplinâ nostrâ ac virtute testimonium, quod *Woodwardi* iudicio gravissimo confirmatur? Nos enim ille optimos scientiarum custodes; Religionis propugnatores; Mosis defensores, suâ certè sententiâ declaravit, qui nostras potissimum in manus defensionis ejus instrumenta tradenda esse voluit. Nec honorificè minus de nobis etiam exteri existimabunt, cùm *Woodwardum* audierint, nos rerum sibi carissimarum conservatores, famæ & nominis tutores, bonorum hæredes delegisse.

Nostrum

Nostrium modò erit, Academici, hominis tantopere de nobis meriti iudicio fervire, voluntati obtemperare, hominumque expectationi satisfacere. Ut *Woodwardo* enim gloriosum fuit, tantam nobis eruditionis materiem comparâsse ac reliquissè; sic nobis sanè turpissimum erit, quòd ab alterius virtute accepimus, illud nostrâ ornare ac tueri non posse. Sed meliora de vobis augurari licet; ex hoc enim tam celebri ordinum omnium concursu studium planè vestrum ardoremque agnosco; agnosco, inquam, verum illud Atheniensium veterum ingenium, novi semper aliquid cognoscendi audiendique avidum.

Animos hominum, cùm e corporibus excesserint, remanere tamen & æternos esse, magnum ex illo argumentum petiere veteres, quod optimum quemque, immortalitatis amore flagrantem, futura semper prospicere, & posteritati maximè fervire vidissent: Naturâ quasi ex optimis istis ingeniis significante, esse aliquid, quod ad nos etiam post mortem pertineat. Et Tu quoque, Præstantissime *Woodwarde*, novum quoddam huic argumento, nec leve illud quidem, tuæ auctoritas pondus adjecisti; quem eâdem viâ, ac veteres illos Heroes posteritati serviendo, hominesque juvando ad cælum atque immortalitatem contendissè vidimus. Et dum beatorum in sedibus debita virtuti tuæ præmia percipis; si quis in mortuis resideat

resideat rerum humanarum sensus, ad gaudia ista, quibus jam perfrueris, hoc certè, quasi cumulus quidam, accedet, quòd quæ in publica patriæ commoda tantâ cum sapientiâ excogitâras, effectum jam suum obtinere, atque ad exitum perduci sentias: Quod hanc optimorum juvenum frequentiam, hunc doctissimorum hominum cœtum, Tui nominis auctoritate, Tuique imitatione excitatum, ad virtutem artefque bonas propagandas tanto studio convenissè videas.

Quæ verò, Academici, de *Woodwardo* dixi, si quis me gloriosè nimis & adulatoriè dixissè arbitretur, propterea quod in virtutibus ejus celebrandis de vitiis prorsus tacuerim; is de mortuo me loqui meminerit. Vicia eum habuisse fatendum est; quibus neminem unquam mortalium caruisse cognovimus; illa verò cùm in vitâ virtutum splendore obruerentur, post mortem sanè obliterari penitus debent. Nam si de mortuis, uti aiunt, nil nisi bonum; de eo certè nihil aliud prædicandum, a cujus vel mortui liberalitate hæc tanta beneficia accepimus; de eo, inquam, qui non benignitati suæ eosdem ac vitæ terminos esse voluit; neque mortem ipsam benefaciendi sibi potestatem præripere passus est.

Sed de mortuo hætenus: Ad vivos jam sese conferat Oratio.

Frustra

Frustra enim tali erga nos animo; frustra tantâ in hanc Academiam benevolentia fuisse*t Woodwardus*; ni alios etiam sui similes, eodem animo, eâdem benevolentia post se reliquisset, Testamenti hæredes, voluntatis exequendæ curatores. Frustra, inquam, hæc tam liberaliter tum in nos tum in patriam ipsam consilia suscepisset, ni alios vivus delegisset, qui se mortuo consiliis suis vim effectumque darent, nec spes quidem eum, opinioque de hominibus concepta fefellit. Illi enim, quod traditum sibi commissumque habuerant, magno licet cum labore & molestia conjunctum, summâ in mortuum pietate, summâ in nos benignitate, summâ fide ac diligentia absolverunt, & ad finem tandem destinatum perduxerunt. Hos igitur viros, officii licet conscientia contentos, nec laudem ullam plausumve captantes, at nostrâ, at virtutis ipsius causâ cum honore nominare, debitisque laudibus celebrare debemus.

Inprimis igitur honoris gratia commemorandus vir Prænobilis & Honoratus *Dixiens Windsor*; non tam nobilitate, quâ tamen maximâ floret, quàm virtute propria conspicuus: quem in hac Musarum sede multos annos ita versantem vidimus, ut Nobilibus, modestiæ, humanitatis, facilitatis, & vel Infirmis, diligentia, officii, legumque nostrarum observantia exemplum semper proponeretur.

Ad

Ad publicum autem Britanniae Concilium missus ab hoc municipio, per annos plusquam viginti Legatus, tum in Academiae, tum in universi populi negotiis commodisque tuendis eam fidem, gravitatem, constantiam adhibuit, ut non apud nos solum, sed per Angliam totam fama ejus clara & illustris pervagaret. *Woodwardo* igitur de Cantabrigia nostra ac Patria simul ornanda cogitanti, Hunc certè hominem si non privata amicitia, at publica civium vox auctoritasque socium adiutoremque dedissent.

Præfuit simul huic negotio vir illustris & liberalis *Hugo Bethel*; qui in exteras terras proficiscendo, variosque hominum mores contemplando, ea prudentiæ & humanitatis fundamenta jecit; ea generosæ indolis ornamenta domum reduxit; ut Civem sese egregium, Patriæ amantem, communis libertatis vindicem in Senatu etiam Britannico cum magna sua laude præstiterit. Hunc igitur virum tantis & animi, & fortunæ bonis instructum; fide præstantem; literis politioribus ornatum; in Academia augenda, Artiumque studiis promovendis meritò sibi *Woodwardus* Consiliarium esse voluit.

Eodem etiam nomine celebrandus, vir itidem ingenuus, ingenuisque artibus præditus, *Richardus Grabam*; qui hujus olim Academiae alumnus, nihil sibi unquam antiquius, nihil

magis in votis habuit, quàm quò in Almam Matrem filium sese pium gratumque ostenderet; itaque non in mortui solum voluntate exequenda fidum eum ac diligentem, sed viventi etiam *Woodwardo* auctorem hortatoremque assiduum cognovi, ut eam omnino voluntatem susciperet; utque eximiam illam rerum suarum collectionem in hac potissimum Academia, tanquam in loco maximè conspicuo dignoque, collocaret.

Postremò non minori tamen cum laude nominandus *Richardus King*; qui miles licèt, & in armis enutritus, in quibus Tribunatús honorem peradolescens meruerat, ita tamen Musis, studiisque humanioribus deditus est, ut miseram luminum orbitatem, quam in expeditione olim pro patria suscepta passus erat, his jam unicè sustentet. In hoc autem munere instituendo, hæc ei propria quædam, & præcipua laus debetur, quòd cum suo ipsius damno virum sese bonum atque Academiæ nostræ amantem ostenderit; quòd officium lucro, pietatem quæstui anteposuerit: cùm enim a *Woodwardo*, cui omnium amicitia conjunctissimus vixerat, bonorum, siquid residui esset fructuumque intermediorum hæres is solus institueretur; at quanto magis ex rei conficiendæ mora fructus sibi accrescerent, tanto ille diligentius rem ipsam conficiendam, & ad exitum perducendam curavit: &, quasi cavendum sibi statuisset, ne quidquam omnino præter amicitia

tia

tiæ carissimæ memoriam ex Hæreditate ista ad se perveniret, sepulchrum Amico mortuo marmoreum splendidumque proprio consilio propriisque sumptibus exstrui, ac in Templo Westmonasterienfi collocari iussit.

Hoc igitur *Woodwardi* nostri prudentiæ & iudicii perpetuum certè specimen extabit; quod tales sibi viros ad consilia sua exequenda delegerit, quos vel mortuo fidem persoluturos cognovit; hoc perpetuum pariter illorum virtutis, & integritatis testimonium; quod tam religiosè opinioni ejus responderint, fidem absolverint. Illi igitur post *Woodwardum*, ad sempiternam rei memoriam in Annalibus nostris inscribantur, Academiae hujus Fautores, Amici, Patroni:

Me verò quod attinet, Academici, ipse nonnullis Fortunæ procellis jactatus, in hoc Academiae otio, tanquam in portu, tutum semper atque honestum simul perfugium inveni: Vos enim, cum certorum hominum invidia indignè olim vexarer, novum in hac Academia Protobibliothecarii munus eodem decreto instituisstis, & ad me detulistis: publico illo iudicii vestri testimonio significantes, & quid de me judicaretis & quid aliis etiam iudicandum præscriberetis. Jam verò vestra auctoritas quàm latè pateat videtis: quippe dignissimi illi *Woodwardi* Hæredes, vestro exemplo commoti, vestrumque factum imitati, novum hocce Phy-

ficæ explicandæ munus haud citius ex *Woodwardi* testamento constituendum, quàm ad me ultrò deferendum curârunt.

Utinam modò Munus ipsum vel personæ studiisque meis accommodatius, vel ipse tali ingenio effem ut ad quælibet facilè studia meipsum accommodare & convertere possem : quicquid autem in me ingenii fuerit, illud omne in hac, quam nactus sum, provincia ornanda & tuenda me collocaturum polliceor : quam quidem si aut viribus majorem aut vitæ rationi molestam demum reperiam, deponere statim atque alteri tradere statui : in hoc interea uno felix, mihi que gratulans, quòd hac occasione oblata, tum celeberrimo *Woodwardo*, tum clarissimis viris Hæredibus ejus, pro summis eorum erga nos meritis, proque ea, quæ mihi præcipuè cum singulis intercessit, amicitia ; tum Almæ denique Matri, cujus amplitudinem, splendorem, dignitatem omnibus meis commodis antepono, hoc animi pii gratique officium, hoc, quantulumcunque est, laudis verè meritæ præconium, mihi publicè præstare ac persolvere contigit.

DE

LATINARUM LITERARUM

PRONUNCIATIONE

DISSERTATIO.

B 3

De Latinarum Literarum Pronunciatione Differtatio.

Consideranti mihi sæpenumero diversam illam, quæ apud diversas gentes obtinet, latinæ linguæ pronuntiandæ rationem, opus ille, non tam sibi jucundum, quam studiosis utile suscepturus videretur, qui verum priscumque latinarum vocum sonum exquirere & revocare conabitur.

Quis enim non videt propter hanc, quæ in hisce præfertim Regionibus invaluerit, pronuntiandi varietatem & licentiam, viros doctos latine inter se colloquentes vix sese mutuò intelligere, nec sine labore quodam & molestia, verborum quam maximè familiarium sensus percipere posse.

Ipsè quidem cum apud exteras gentes versarer, parum certè seu nihil potius commodi ex sermonis latini usu hauriendum animadverti; & ni linguarum etiam hodierno usu florentium subsidium mihi aliquod comparâssèm, caruissèm maximo illo quidem & jucundissimo itinerum meorum fructu, quem ex hominum literatorum colloquiis & consuetudine familiari percepi.

Sensi enim viros, alioqui eruditos politosque, ob hoc ipsum latinæ locutionis incommodum peregrinantium sæpe congressus fugere; ni

Gallicâ eos Italicâve linguâ uti posse intelligerent: cum enim linguam quisque latinam eodem plane modo ac patrium sermonem enuntiat, sequitur fanè, ut ne latine quidem loquentis verba sensusque intelligere queamus, ni linguam simul ejusdem vernaculam & gentilitiam teneamus.

Erasmus se adfuisse olim commemorat cum die quodam solenni complures Principum Legati ad Maximilianum Imperatorem salutandi causa advenissent, singulosque, Gallum, Germanum, Danum, Scotum, &c. orationem latinam ita barbarè ac vaste pronuntiasse, ut Italis quibusdam, nil nisi risum moverent, qui eos non latinè, sed sua quemque lingua, locutos jurassent.

Sin autem verus unquam nativusque literarum priscarum sonus revocari ac restitui, certaque aliqua pronuntiandi regula constitui omnibus possit; non hisce modo malis remedium nobis paratum esset linguasque alias perdiscendi labor viris doctis minueretur, sed lingua ipsa latina ad cæteras etiam omnes rectè & grammaticè pronuntiandas tanquam exemplar & norma quædam proponeretur.

Sed contra omnino, & præposterè fanè hac in re fieri videmus, tantum enim abest ut ad linguæ latinæ normam regulamque, cæteræ, quæ nunc in usu sunt, reducantur omnes & corrigantur, ut cæterarum potius omnium vitia,

tia, fonosque barbaros in eam jam transferri cernamus.

Ex omnibus autem, apud quos latini sermonis usus adhuc aliquis restat, prima emendatæ locutionis laus Italis certè debetur : Itali vero proximam Anglis deferunt : rectè secusne alii judicent ; quoniam ipse pro patriæ caritate iudex fortasse minùs æquus existimarer : de Italici ratio certe ipsa evincit, homines illos, quorum in sermone non vocum latinarum vestigia solum, sed voces ipsæ, & vera quasi latinitas eluceant, unà cum vocibus a majoribus acceptis fonos etiam antiquos quam maxime retinuisse : idque cunctorum certè experientia confirmabit, ostendetque illud omne quod Italicæ pronuntiationis proprium, atque a reliquis linguis diversum videtur, non nisi a Romanorum veterum usu ac sermone esse derivatum ; uti pluribus infra exemplis perspicuum fiet.

Elaborarunt olim hac in causa viri sane magni Erasmus, Lipsius, atque e nostris Chekus, Smithusque ; quorum hi ad Græcæ potissimum linguæ, illi ad latinæ sese pronuntiationem non sine magna doctrinæ ingeniique laude applicaverunt : omnium autem maxime Erasmus ; qui proprio Marte, nulloque præeunte, rem obscuram ac reconditam princeps explicare aggressus est, atque in hac disputatione, ut in aliis omnibus, sæculi sui tenebras barbariemque debellare, prisicamque literarum & artium

artium elegantiam revocare conatus est : Lipsius autem vix aliud mea quidem sententia fecisse videtur, ac Erasmi libellum, absque ulla ejus mentione, compilasse. Ab illis vero scriptoribus etsi plurima ingeniose atque erudite disputata sint, nonnulla tamen deesse, multa dubiè, quædam etiam falso posita animadverti ; idque hac in causa accidisse, quod in cæteris plerisque solet, ut mortalium nemini detur rem invenisse simul & perfecisse.

Quippe multa jam nobis suppetunt argumenti hujus explicandi subsidia, quibus illi carebant ; eruta scilicet post illa tempora antiquitatis omnis monumenta ; & magnæ illæ inscriptionum veterum moles, quæ collectæ simul, librisque pervulgatæ in publicum jam omnibus proponuntur : e quibus melius longe, opinor, quam ex ipsis grammaticis, prisca latinarum vocum pronuntiatio erui ac elici potest : literarum enim inter se permutationes, quas in inscriptionibus sæpe videmus, promiscuusque nonnullarum usus, maxime vero sculptorum in Orthographiæ leges peccantium errores germanam earum vim sonumque indicare plane videntur.

Romanis enim idem certe contigisse cognovimus, quod nobis fere quotidie contingit ; Marmorariorum scilicet istos, quibus lapidum inscribendorum cura commissâ fuerit, Orthographiæ regulas ignorantibus, errores idcirco fædos in verbis sæpe describendis admisisse, quos etsi
verba

verba minus recte, at verum verborum sonum, alienis licet literis, secutos esse ac dedisse constat: exempli gratia; si quis sonum literæ X, a Græcis acceptæ, investigare voluerit, in inscriptionibus eam antiquis nonnunquam per c & s expressam & permutatam videbit, ut in vicfit; lucferunt. [...] quibus in verbis etsi litera ipsa non appareat, vis tamen ejus plene expressa reperietur: atque eodem modo in cæteris ex literarum, quarum vis cognita est, permutatione illarum, de quibus dubitamus, nativum sonum elicere valebimus.

Itaque dum Grammatici veteres literarum singularum sonos, quod certe difficile est, verbis describere atque exprimere laborant; marmora interea vetera sonum ipsum fictum quasi ac formatum ante oculos ponunt. Hac igitur via insistendum, atque inscriptionum veterum ope literarum sonos exquirendos mihi atque indicandos proposui. In singulis vero describendis, eas omnes prætermittere visum est, quæ nihil in se singulare vel notatu dignum contineant, & in eis solum illustrandis consistere, quæ in sonos alienos delapsæ, atque a veterum usu detortæ videntur.

Primùm igitur de vocalium pronunciatioe, ex qua syllabarum vis omnis, sonusque pendent, quid statuendum sit videamus.

Ore contracto, magis quam par est, efferimus, A.

mus, quam tamen *riĉtu patulo* proferendam Grammatici veteres docent: [a] idque de Græcorum etiam A confirmat *Dionysius Halicarnassæus* [b] qui ex vocalibus longis eam sonantissimam esse scribit, proferrique ore quam maxime dilatato, spirituque cælum versus sublato. Atque hoc modo Itali eam Gallique hodie efferunt; Romanosque etiam idem olim fecisse constat; nam in marmoribus antiquis ad A interdum V vocalem contra Orthographiæ leges adjunctam, ut AVROMATARIVS. [Grut. 636. 7] ARCHILAVOS. [ib. 582. 6.] & pro A longâ duplicem per sæpe positam videmus, ut PAASTORES [150. 7] FAATO [1046. 6] &c. quæ omnia non nisi foni dilatationem quandam significare videntur. FAATO NAATAM. Fabrett. 421.

E. Vocalis sonum distincte & accurate explicare difficilius videtur: Italos ego, uti nostros etiam, recte eam proferre censeo in vocibus, ascendo, ventus &c. Gallos vero pessime, qui iisdem in locis eam ad sonum A dilatare solent.

I. Sonum habuit medium quendam & communem cum superiori E. Hoc Grammatici tradunt; confirmatque Quinctilianus, [e] qui T. Livium Sibe & Quase pro Sibi & Quasi uti solere dicit. Neque ullarum toties in inscriptionibus

[a] Marius Victorinus de enuntiatione iterarum.

[b] [c] Gruter. 636. 7. 582. 6.

[d] Ib. 150. 7. 1046. 6. [e] l. i. c. 7.

antiquis, quoties harum inter se vocalium permutatio reperitur, ut TETVLVS SACREIFICIVM BENIVOLENTIA CAMINA [a] atque hinc mihi verisimile videtur Romanos veteres eundem huic vocali sonum attribuisse atque Itali hodie, nec alium ac nos per duplicem E exprimimus in Street, See. &c. quod ex hisce præsertim vocibus apparet. DIANA. SPOLIA. EXEAT. CAVEAS. quas ita sæpe scriptas reperio. DEANA. SPOLEA. EXSIAT. CAVIAS. [b] in quibus eum fere sonum quem dixi expressum videmus.

Latini veteres I longam per EI Græcorum diphthongum scribebant : quem scribendi morem a Grammaticis memoratum plurimæ nobis adhuc inscriptiones conservant, ut CEIVIS. EITVR. IPSEIVS. QUEI. [c] neque aliter Græci in Romanis nominibus, ut ANTΩNEINOC. ΦΑΥCTEINA. [d] Utrumque enim idem planè sonuisse ex epistola quadam Ciceronis ad Pætum [e] colligere possumus ; in qua de verbis, quæ obscœna habebantur, ludens, cum loquimur, inquit, terni, nihil flagitii dicimus, at cum bini, obscœnum est ; alludens scilicet ad Græcam vocem *βινεῖ*, ut Græci vero I longam per EI. ita latini EI Græcorum quandoque

[a] Vid. Gruter. 1061. 6. 328. 1. 443. 6. 47. 10.

[b] Vid. ib. 39. 4, 7. Cenotaph. Pisan. 755. 1. 629. 1. ult.

[c] Gruter. 206. 1. 171. 8. 541. 7.

[d] Inscript. Florent. 375.

[e] Epist. 1. 9. 22.

per E productam, quandoque per I scribebant, ut ΝεῖλⓄ Nilus. ἘπικυρεῖⓄ Epicureus, qua in voce I tamen pro E posita interdum legitur. Epicurius. [a] quod sonum utrisque perfimilem fuisse demonstrat. ARIA. Fab. 153.

Lipsius dicit solos Europæorum Britannos hanc vocalem recte proferre, [b] at omnium potius meo iudicio pessimè, atque a veterum more remotissime, uti ex pronuntiatione vocum nostrarum Mind. Bind. &c. cum superioribus collata apparebit.


Nec minus quidem barbarè nostri literam I, cum consonantis loco ponitur, efferunt; qui pro ea semper G pronunciant, ut magestas. gemit. quam pronuntiandi rationem Romanis penitus ignotam fuisse existimo, qui eam ita in Majorca, Iuno, Iecit efferebant, uti nos Y consonantem in York, You, Yes. I, inquit Priscianus [c] modo pro simplici, modo pro duplici accipitur consonante; pro simplici, quando in principio dictionis ab ea incipit syllaba subsequente vocali ut Iuno: pro duplici, quando in medio dictionis ab ea incipit syllaba post vocalem, ut Majus, Pejus, ubi antiqui solebant geminare I & scribere Maiius Peiius: quod non aliter pronuntiarī possēt, quam si cum priori syllaba prior I, cum posteriori

[a] Aldi Orthograph. p. 20.

[b] De rec. pronunciat. lin. lat. c. 8.

[c] L. 1. c. de literar. numero.

*altera proferetur Pei-ius. atque ita Pompei-ius ;
cujus genitivus per tria I scribebatur. Quæ Prif-
ciani verba sonum illum mollem dulcemque I
consonantis, quem modo indicavi, designare
planè videtur, nempe eundem prorsus quo Itali
hodie easdem voces efferunt.*

Eundem olim sonum habuisse apud veteres V. Romanos atque hodie apud Italos, Græcæ scilicet diphthongi *ov*, certissimum est. Quippe ita eam in marmoribus antiquis persæpe scriptam & expressam videmus, ut *LOVGET. IOV-SIT. INDOVCEBAMVS. OB INIOVRIAS IOVDICATI.* [a] idque Grammatici etiam omnes confirmant [b], nec Græci eam aliter in Romanis nominibus, ac per *ov* scribunt, ut *IOΥΛΙΟC. ΛΟΥΚΙΟC. &c.* [c] atque hinc apud Suidam *Κυριωσσ*  *Curiosus.*

At de V consonantis sono haud inter doctos constare video : Erasmus Lipsiusque [d] eam per nostram W proferendam censent, ut *Winum, Wultus.* idque variis argumentis probare conantur ; nec aliam omnino vim Æolico Digamma attribuunt, cui hanc literam successisse Grammatici tradunt. At Priscianus contra [e] *Æolicum Digamma eandem vim ac Græ-*

[a] Grut. 1055. 1. 171. 8. 499. 12. 204.

[b] Mar. Victorin. l. 1. Priscian. l. 1. de num. lit.

[c] Inscip. Florent. p. 51. 22.

[d] Erasmi. de recte pronuntiat. p. 168. Lips. c. 12.

[e] Ib. vid. etiam Mar. Victorin. l. 1. de Orthograph.

corum Φ , seu Latinarum PH, vel F habuisse confirmat; postea vero placuisse Latinis ejus loco V consonantem adhibere, qui cognatione soni videbatur affinis esse. Quibus verbis hanc consonantem non alium apud veteres, atque apud nos hodie, sonum obtinuisse ostenditur.

Miratur autem Erasmus literas hasce F & V consonantem ob tantam soni affinitatem nunquam inter se commutas reperiri: at Jo. Tertullium memorasse scribit, [a] se inscriptionem veterem Romæ vidisse, in qua FIXIT. pro VIXIT. bis positam legisset. Atque in multis aliis inter Romana nomina animadverti. FICTORIA. FICTORIANVS, FICARIVS. FARVS. [b] quæ ab eodem fonte profluxisse videntur.

At hanc literam cum B plerumque permutatam cernimus. Ut BIXIT. VIBVS, OCTABIANVS. OVVIOLARIT. [c] Ista vero cum litera B affinitus a sono nostræ W. quam maximè aliena videtur. Neque illud omnino verisimile est, ejusmodi sonum Romanis unquam familiarem fuisse, cujus nullum prorsus apud Italos, sed apud gentes solummodo remotas & barbaras, vestigium remanserit. CVVICVLO. IVVEO. Fabrett. Inscrip. Ant. p. 102. VNIBERSIS. ib.

[a] Jo. Tortel. Orthograph. de litera. F. fol. 4. ib. 172.

[b] Grut. 643. 6. 886. 15. 911. 17. 757. 9.

[c] Grut. 334. 2. 757. 1. Inscr. Flor. p. 172. 145.

VICTORIAE CONIVGI. 630. VICTORIA. 240.
VICTORIA. 274.

Hæc vero, quæ de vocalium pronuntiatione disputata sunt, de sono earum generali ac communi dicta intelligantur: quippe apud veteres, uti apud nos hodie, easdem vocales, non eandem semper vim in cunctis æquè locis obtinuisse liquet; neque in syllabis breviter celeriterque enuntiandis sonus cujusque proprius distincte & accurate proferri ac exprimi poterat: atque hinc fit, ut in inscriptionibus antiquis omnium fere vocalium, utcunque inter se dissimilium, permutationes usumque promiscuum in ejusmodi locis inveniamus. Ut. MONO. MONI. MONUMENTVM. HERCO. HERCVLES. PIGNE PIGNORA. OPTV. OPTIMVS. [a]

Diphthongos quod attinet, nomen ipsum naturam earum indicat: videlicet, cum binæ vocales in eadem syllabâ coeuntes sono quodam duplici, sed mixto & in unum quasi confato, proferuntur; ita tamen ut utriusque etiam vim percipere queamus. Ejusmodi vero sonus cum non nisi difficulter, nec sine oris labore quodam accurate exprimi poterat; usus hominum communis, in mollitiem semper deliciasque delabens, illum ita paulatim emollivit, ut diphthongos demum ad vocalium simplicium gradum revo-

[a] Grut. 946. 6: 608. 2: 6. 2: 1052. 10: 329.

Æ. caverit. Atque hinc in diphthongo Æ. omiffa altera vocali A. & pro nihilo habitâ, in altera E Romanos olim conffitiffè, eamque unice expreffiffè reperio; quod marmora antiqua demonftrant, in quibus diphthongus hæcce cum E vocali promifcuè ubique uſurpata & commutata, tum in longis, tum brevibus etiam Syllabis occurit, ut ÆIVS. ÆXTÆRV. VENÆRI. EDIFICIVM. EGYPTVS. PRETORIVM. [b] Undè fonum utriusque fimilem feu eundem potius fuiſſè perſpicuum eſt. Sculptores enim, ut ſupra dixi, orthographiæ ignaros, non niſi aurium iudicium, ſonique rationem in verbis deſcribendis ſecutos eſſe neceſſe eſt.

CONIVGIS SVE. [Camera ed Iſcrizioni ſepolchral. Inf. 182.]

FILIAE QVE VIXIT. Inſcrip. Florent. p. 178.

œ. Hæc diphthongus per OI antiquitùs ſcribatur, & utrovis modo cum V vocali confundebatur: ut COIRAVIT. COERAVIT. CVRAVIT. OIT. OET. VTILE. [c] Hujus autem affinitatis ratio explicatu mihi difficilis videtur: eumque ſcribendi morem apud priſcos ſolummodo Romanos obtinuiſſe, ac obſoleviſſe poſtea conſtat. Hanc enim diphthongum eodem modo ac ſuperiorem tractari, atque ad ſonum ſimplicem

[b] Grat. 542. 2: 756. 2: Lipſ. de pronunt. Gr. 1053. 2: 376. 3: 28. 5:

[c] Ib. 59. 8: 100. 8: 499. 12.

vocalis

vocalis E redigi tandem reperio. Pro qua in inscriptionibus peræpè posita occurrit. Ut EPHOEVVS. FOELIX. PROSCOENIVM [d] quibus in verbis propter E longam, sonumque adeo ejus minime dubium, sculptor in iis licet scribendis peccare, in sonandis tamen nullo modo poterat.

Præterea diphthongos hæcæ Æ & OE. alteram pro altera nonnunquam positas cernimus, ut in familiarum nominibus. CAE. & COELIA. CAE. & COERANVS, CAE. & COESONIVS [e] ex quibus patet, apud Romanos olim, uti apud nos hodie, haud alium utramque sonum ac vocalem E habuisse.

De reliquis diphthongis parum mihi lucis ex inscriptionibus antiquis suppeditatur : eas autem ab Italis recte pronuntiari censeo, qui ita efferunt, ut utriusque vocalis vis percipi clare & distingui possit.

Diphthongo sonum illi tribuunt latiore, crassioreque quam nostra lingua agnoscit, ejus vero non absimilem, quem in verbo nostro *owe* exprimimus; præsertim si rusticorum more, ac si per a scriptum esset, pronuntiaretur, nos certe hanc diphthongum mollius, quam par est, & ore nimis contracto efferimus. Galli vero

AV.

[d] 689. 4 : 273. 6 : 168. 10 :

[e] 52. 6 : 670. 8 : 240 : 122 : 351. 3 : 372. 1 :

omnium pessimè, qui ei semper sonum vocalis O adjungunt.

EV. Haud male a nobis pronuntiari existimo, in vocibus latinis Euge, neuter &c. in nostris shew. lewd. &c.

Æ. Conjugi sue Julie Longine Fabrett. 83, sine ulla litæ. 95.

Glæba & Gleba promiscuè scribitur in antiquissimo Cod. Virgil. medico quem ipse vidi Norr, 431.

C. Ante vocales A. O. V. eundem olim sonum habuisse ac hodie habet certissimum est: qualem autem ante reliquas E & I, diphthongosque AE. OE. EV. habuerit, haud ita convenit. Angli illam, Gallique etiam, haud ab S. distinguunt. in Cœna. Cæsar. Ceres, Cinis &c. at in iisdem Itali, quod Romanos etiam fecisse olim existimo, eum huic literæ sonum tribuunt, quo nos *ch* efferimus, in vocibus nostris Cheek; Cherry, Cheap &c. itaque pronuntiant Cicero, uti nos Chichester; Chicheley, &c. ita tamen ac si ante C, cum in medio vocis sequatur vocalem, litera T. leviter admodum & subobscurè sonanda interponeretur. Ut Cicero, Chichester. quam pronuntiandi rationem expressisse planè sculptor quidam videtur, qui in inscriptione veteri contra orthographiæ regulas T ante C interposuit in nomine Vrbitcius. [f]

[f] Grut. 1059. 3.

Hanc

Hanc autem Italorum consuetudinem Lipsius prorsus deridet, literamque C eandem prorsus vim ac K ante omnes pariter vocales obtinuisse contendit. [g] At virum doctum, Germanorum suorum sonis nimis faventem, hoc in loco, uti alias sæpè errasse constat. Nam etsi K ante vocales A. O. V. pro C. persæpe scripta reperitur. Ut. Karcer. Kos. Kujus. &c. [b] ante reliquas tamen nusquam ita positam animadverti; ex quo utrumque illud probari videtur, tum litteras hæc eandem plane vim nonnullis in locis, tum diversam quandam in aliis habuisse; atque hinc in Carcer. primam C cum K commutatam videmus, at secundam non item. In inscriptionibus vero antiquis litera hæc ante I in medio vocis sequente altera vocali, nunquam, ut dixi, cum K, sæpissime tamen cum T commutata cernitur. Ut Domicius. Palacium. Fabritius. Fetialis. Condicio. [i] cujus quidem permutationis in literis tam inter se potestate dissimilibus nulla certe ratio reddi possët; ni utræque iis in locis positæ sonum quandam tum inter se consimilem, tum diversum ab eo quem alibi obtinerent, habuissent. Nunquam enim aut earum permutatio aut soni affinitas aliqua cernitur, nisi ante I sequente altera vocali. Quo in loco quum T. sonuisse ut Ts infra ostendetur, sequitur plane C sonum ei per-

[g] Lips. de Pronunt. lin. lat. c. 13.

[b] Grut. 80. 5. 607. 1.

[i] Ib. 689. 9: 232. l. 10: 101. 5: 457. 2: Ald.

Orthog. p. 295.

similem habuisse, nec alium quidem ac quem supra indicavi, quemque Itali hodie illi iisdem in locis assignant. *Constanciæ. Fabret. 102. dictionem. 169. condicio. 373. solacium. 421. negotiantur. cenot. Pis. p. 301. Numicius. ifius. 151. II. v. 55.*

- G. Hanc literam omnes eodem modo efferunt ante A.O.V. ante ceteras vocales diphthongosve mollius ea quiddam apud Romanos olim, uti apud nos hodie, sonuisse videtur; contra omnino ac Lipsius disputat; qui hanc omnibus consonantibus regulam generalem constituit, videlicet eas eundem semper atque unicum solummodo cunctis æquè in locis sonum obtinere; contenditque adeo G aliam nusquam habere vim ac quam in voce lego. [k]

At in marmoribus vetustissimis, cum jam litera hæcce nondum inventa ac inter latinas recepta effet, C pro ea usurpatam videmus; ut in Duilliana illa *LECIONES. CARTACINIENSIS. &c.* [l] Et in multis etiam aliis ante vocales E & I. eam pro G positam animadverti. Ut *MACESTERIVM. PRIMICENIVS.* [m] quibus in locis cum literam C molliorem quendam sonum, ut apud Italos, quem nos per ch exprimimus, obtinuisse probavi, sequitur plane G etiam sonum itidem mollem & consimilem habuisse;

[k] *Ib. c. 14.*
9: 107. 4.

[l] *Grut. 404. 1.*

[m] 1065.

eundem,

eundem, opinor, quem Itali jam, nostrique etiam in verbis legio, magistratus illi attribuunt.

Cum literam G in medio dictionis sequatur GN, ut magnus. Itali alteram ei N in pronuntiando præponunt, atque I vocalem utrisque subjiciunt; deinde ipsi G subobscurum admodum sonum tribuentes, ita vocem ipsum efferunt ac si scriberetur Mang-nius vel Mannius. Quod Romanis etiam antiquis in usu fuisse perspicuum est: nam in vetustis quibusdam inscriptionibus, quo sonus iste melius exprimeretur, I post GN. interpositam nonnunquam animadverti, ut MAGNIO [n] ABIEGNIEAS. [o]

Id vero a Græcorum consuetudine profluxisse liquet, quos literæ Γ sequente altera Γ vel X, K, Ξ. sonum literæ N tribuisse cognovimus; ut ΑΓΓΕΛΟC. ΕΓΧΕΙΡΙΔΙΟΝ. ΑΝΑΓΚΗ. CΦΙΓΞ. Angelus. Enchiridium. Sphinx. atque hinc in inscriptionibus Græcis ejusmodi verba cum N interdum interposita scribi videmus. ut ΑΝΑΝΚΗ. ΕΠΑΝΓΕΛΛΑΜΕΝΟC. [p] quam consuetudinem latinos etiam secutos esse Victorinus ostendit; [q] qui pro Agger Anger; Suggestum, Sungestum; Ancilia, Agcilia scribi oportere censet. Atque hanc denique pronuntiandi dulcedinem significare mihi

[n] Inscript. Florent. bis. [o] Gr. 207. [p] Inscript. Florent. p. 22, l. 16. [q] Mar. Victorin. l. 1. de Orthograp.

Cicero videtur. Erant, inquit, [r] noti, navi, nari; quibus cum IN præponi oporteret, dulcius visum est ignoti, ignavi, ignari dicere.

MAGNIO. MAGNIVS. MAGNIA &c. Fabrett. Inscr. an. p. 14. 249. 254. 292.

¶ Non tam literam quam aspirationis notam seu signum literæ validius intentiusque profertendæ a grammaticis existimari video. Scribit Cicero, [r] veteres Romanos ea nusquam nisi in vocali usos itaque locutos esse, ut pulcros; cetegos; triumphos; Kartaginem dicerent. Quam consuetudinem cum ipse aliquandiu secutus esset, propter aurium tamen voluptatem se repudiassè tandem ac populo reliquissè dicit; fatetur autem nonnullis in vocibus vel aurium ipsarum iudicio servari eam debere, ut in orcvios. otone. sepulcra. lacrymas. Populum vero in hisce aurium deliciis, sonorumque differentiis dijudicandis haud ita delicatum atque elegantem fuisse constat: sed cum usus hominum, ut dixi, ad partem molliorem semper facilioremque delabitur, aspiratio hæcce ob molestum quandam vocis intentionem negligi paulatim et tam in vocalibus quam consonantibus nihili tandem haberi, cœpta est. Quippe in inscriptionibus antiquis eam sæpissimè tum in verborum initiis prætermissam, tum e mediis syllabis ejectam reperio. Ut Omo. Onestus. Eres. Tratia. Eleu-

[r] Orator. p. 265.

terus.

terus. Eutycus. Aduc. Agatopus. Cyato. Trep-
to. &c. [s] Sepulchr. de ser. 40. 46. At aliis
contra in locis adjectam eam supervacaneè &
contra orthographia leges interpositam sæpe vi-
demus, ubi nullam omnino vim habuerit ne-
cessè est. Ut. Heridanus. Hillyricum. Horiun-
dus. Hornamentis. Amyntas. Ponthes, Pro-
thesilaus, &c. [t] ex quibus omnibus Erasmi
sententia minùs mihi firma videtur, qui TH
eo semper sono efferri oportere disputat quo nos
in voce nostra *Theif* utimur; [u] apparetque
potius, aspirationem hancce parvam admodum
seu nullam prorsus soni intentionem in usu Ro-
manorum communi vel vocalibus vel consonan-
tibus adiecisse quæ loquendi consuetudo a Ro-
manis ad Italos derivata omnem jam tandem
aspirationem e lingua prorsus Italica exterminavit.
Anthiocus. Fabrett. p. 40. The-Teontas.
30. chorona. 123. Thyranno. 166. Tæodora.
341.

Literam prorsus supervacaneam esse gram-
matici omnes fatentur, quippe nullam omnino
vim sibi propriam aut a litera C diversam ob-
tinet: nonnulli tradunt eam ante vocalem A
propriè ac unice adhiberi solere ut. Kalendæ
Karthago: at ejusmodi distinctio parum mihi
certa aut stabilis videtur, neque ullum ei locum,

K.

[s] 588. 9. 427. 1: 521. 7: 402. 4: Inscript. Flor.
p. 26. it. 29. it. 406. it. 431. Grut. 1056. 1. 302. 2.

[t] Grut. 52. 12: 396. 1: 529. 7: 451. 6: 914.
6: 150. 7: [u] de pronuntiat. lin. lat. &c. p. 157.

sonumve

sonumve peculiarem a veteribus assignatum reperio : in inscriptionibus antiquis pro C, ut supra ostendi, perſæpe poſita occurrit. *ut Karus. 333. 9. Kaput. 214. Kos. 607. 1. Kujus. &c.*

PH. Eundem olim ſonum habuiſſe ac F. inſcriptiones veteres confirmant, in quibus alterum pro altero promiſcue adhiberi cernimus. ut AMFION. TRIVMFVS. PHIDELIS. [x]

Q. In literarum ſupervacanearum numero a grammaticis habetur. K & Q. inquit Prifcianus, [y] *quamvis figura & nomine videantur aliquam habere differentiam, cum C tamen eandem tum in ſono vocum quam in metro continent poteſtatem.* Exiſtimabatur olim vim literarum C & V conjunctam poſſidere, ideoque nonnulli QIS QAE. QID. pro QVIS. QVAE ſcripſerunt. [z] At eam cum V vulgò ſcribi videmus, nec aliter omnino ſonare ac C. cum qua eam perſæpe commutatam ac promiſcue uſurpatam reperimus. ut. ACVA. CVO. AQVITVR. MEQVM. PEQVANIA. [a] CVOTTIDIE. Fabrett. 272.

T. Ante I ſequente etiam altera vocali. uti in IVSTITIA pronuntiatur ab Italis, tanquam TS, vel TZ. quod Romanos etiam veteres factiſſe Papirius quidam grammaticus tradit. [b] At

[x] Grut. 125. col. 5 : 285. 6 : 943. [y] l. 1. de num. literar. [z] Vel. Longius de Orthograph.

[a] Grut. 593. 5 : 786. 5 : 138. 817. 12. 102. l. 7.

[b] Vid. Aldi Orthogr. p. 563.

hunc

hunc pronuntiandi morem Papiriumque item ipsum vehementer irridet Lipsius, [c] neque alium prorsus literæ T. hoc in loco ac in ceteris omnibus sonum tribui debere contendit. Quicquid vero ille disputet, vel hoc uno marmore refutari existimo, in quo CRESCENTSIANVS. cum S post T ad sonum ejus plenius exprimendum interpositâ scribitur. [d] Illam autem T, quia leviter tantum & subobscurè, ut apud Italos hodie, pronuntianda esset, prætermittam alio in loco & per S solummodo repræsentatam a sculptore cernimus. Ut VOLCASIVS. [e] Bonifatia. 299. Fabrett. amatus. amafius. 603. comitius. icius. 617. Fabritio. Robertell. emend. p. 46.

Loco CS, vel GS a Græcis inventam atque X. a Latinis assumptum esse Priscianus docet: [f] *qua carere potuimus*, inquit *Quintilianus*, [g] *ni quæsissemus*.

Græcæ prorsus literæ sunt; nec a Latinis Y & Z. usquam, uti grammatici tradunt, nisi in Græcis quibusdam nominibus usurpatæ. ut HYLAS. ZEPHYRVS. &c. [h]

Omnes, qui de hac quæstione scripserunt, literam Y (quæ a Græcis Upsilon dicitur) sonum

[c] de pronunt. lin. lat. c. 14. [d] Grut. 127. l. 1.

[e] Inscr. Flor. p. 400. [f] l. 1. de num. lit.

[g] l. 1. c. 4. [h] Max. Victorin. de lit.

vocalis V, Gallico more pronuntiatae habuisse contendunt; eundem scilicet, quem eidem nos vocali tribuimus in vocibus Duke, Flute, Lute. Centyria. Fabrett. 175. Tyfcia ib. Vyrginem. 53. Olumpus. 175.

Chekusque noster praefertim *lumen sonorum extinētum dicit, cum Y, uti semper apud nos, qd sonum I traducatur.* [i] Attamen ea nonnunquam cum I commutata in marmoribus antiquis invenitur, ut NIMPHIS. BYBLIOTHECA. [k] At multo saepius, cum V, Ut ILLVRICVM. SVRIA. CENTYRIA. SATYRNVS. [l] Quod Erasmi sententiam confirmare videtur, qui hanc litteram medium quiddam inter I & V Gallicam sonuisse existimat.

Z. A Græcis accepta vice literarum S & D apud Latinos fungebatur: *si assumpta non esset, inquit Max. Victorinus, [m] pro Mezentius, scriberemus Mesdentius.* Quam scribendi consuetudinem *Dores etiam inter Graecos secutos esse constat;* qui pro μελιζειν dabant μελισδειν. Eos vero ut pro Z non σδ modo, sed δς etiam usurpasse cognovimus; ita Romanos etiam idem fecisse, idque ad Italos inde profluxisse verisimile est, qui hanc hodie litteram per ds semper efferunt.

[i] de lin. Gr. pronunt. p. 88. [k] Grut. 36. 6 : 475. 4. [l] ib. 297 : 27. 5 : 45. 13 : 422. 1 ;
[m] c. de lit.

BIBLIOTHECÆ
CANTABRIGIENSIS
ORDINANDÆ
METHODUS QUÆDAM;
QUAM DOMINO
PROCANCELLARIO
SENATUIQUE ACADEMICO
CONSIDERANDAM & PERFICIENDAM
OFFICII ET PIETATIS ERGO
PROPONIT.



CELEBERRIMO DOCTISSIMOQUE

V I R O

ANDREÆ SNAPE, S. T. P.

COLLEGII REGALIS

P R Æ F E C T O,

E T

H U J U S C E A C A D E M I Æ

PROCANCELLARIO,

CONYERS MIDDLETON,
S. P. D.

MITTOT ibi, Vir Dignissime, Tractatum huncce de optima librorum collocandorum ratione; quem Tibi imprimis, Academicisque deinde omnibus in publicum ideo proponere statui, ne in torpido hocce Bibliothecæ nostræ statu, torpescere etiam Proto-Bibliothecarium vestrum crederetis; quumque a legum olim Interpretibus sancitum fuerit, quod scribere sit agere, ut legitimum quoddam haberem diligentiae meæ & industriæ testimonium: quicquid vero demum effecerim Tuo prorsus arbitrio dijudicandum relinquo;

DEDICATIO.

relinquo ; judicium enim, non Muneris magis, quod geris, dignitate, quam Ingenii & Doctrinæ præcellentia vere Tuum est, Teque, etsi Magistratum jam adire contigerit, Privatum tamen mihi omnium potissimum Consilii Autorem deligeram, Judicem peterem.

Inter tot vero, & tanta negotia, quæ Te jam totum occupant, Bibliothecam Publicam præcipue Tibi curæ fore certo scio ; cujus accurata quædam & recte ordinata dispositio ad Academiæ nostræ famam & splendorem maximi plane ponderis & momenti est ; cujusque fructus omnes nemo Te vel melius noverit vel uberius perceperit : Hæc nimirum, Fontium quorundam ad instar, qui lympham simul lumenque emittere dicuntur, Fons ille est, ex quo & Lucem & Pocula, quæ gestat manibus, haurit Alma Mater ; illa caliginem atque ignorantiae tenebras dispellens ; hisce plenos scientiæ haustus Juventuti Academicæ propinans : Sive Armamentarium Illa Academiæ dici potius mereatur ; unde Tela Filiis suis, uniuscujusque viribus accommodata distribuit Alma Mater ; quæque non nisi summo gaudio in Doctrinæ, Ecclesiæ, & Religionis hostes tam feliciter toties a suis, atque a Te præcipue haud dudum torqueri viderit.

Hanc autem Bibliothecam tam illustrem, tamque Principis Munificentissimi beneficio auctam atque instructam pudet plane ab omni
Ufu

Uſu literario ſemotam, atque a ſtudiis noſtris concluſam tam diu jacere ; Advenis tantum ſpectaculum, noſtris deſiderium ; quamque Tantalii ad inſtar ſitientes intuemur, neque ſummis tamen labris guſtare valeamus : Tuum vero eſt, Vir Doctiſſime, ad Uſus illam deſtinatos, ad bonas literas, bonoſque mores promovendos educere tandem atque accommo- dare ; Tuum eſt locorum haſce anguſtias amplificare ; Ædificationem inchoatam abſolvere ; librosque, tanquam Coloniam aliquam, in novas ſedes deducere, lociſque ſuis collocare : opus quidem perdifficile, atque in impeditis hiſce Academiae temporibus non niſi Tuis viribus & Tua conſtantia perficiendum : etenim Te, ſi recte noverim, non minaces Potentium vultus, voceſque ; non malorum impendentium metus, non inſtantium terror ab inſtituto curſu deſlectet ; ab Academiae tuendae atque or- nandae conſilio deterrebit.

Ut dicam autem libere quod ſentiam, quocun- que noſmet vertamus, difficultatibus un- dique premi, periculique plane obſeſſi eſſe videmur. Nonnulli dum Gradus Academicos conferendi facultatem a nobis quidem haud auferre præ ſe ferant ; nobiſcum tamen partiri, atque in commune frui ſibi vendicant ; Gradus, inquam, non tam nomine, quam re & natura ſua vere Academicos ; in mediis ſcilicet Aca- demiis natos, ipſarumque omnino cauſa inven- tos atque excogitados ; ut quibus in locis Doc-

trinæ potiffimum ftudia florerent, in iis Doctrina etiam ipfa cum dignitate aliqua, & inflignibus quibusdam honefta eflfet. Alii interea, Doctores creandi jus nobis licet integrum permittant; de Doctoratu tamen dejicere, de Senatu noftro deturbare, fuo nifi arbitrato & confenfu haud patiuntur: rerumque adeo Academicarum Cognitionum & Judicium ad forum
 ***** av-cant: Quorum conatus ni repellere tandem ac propulfare valuerimus, lethale quoddam vulnus huic noftræ Academiæ infligatur neceffe eflt.

Nil autem Te Duce desperandum eflt; nil nifi lætum, fauftumque nobis augurari fas eflt: præclara enim Vox illa Tua, Te Academiæ caufa carcerem; Te vincla lubenter fubiturum; quantam excitaverit in bonis omnibus fortitudinem, quantam fpem, quantum Tui amorem? Quippe Tu ad Rempublicam noftram ex eo jam accedis Collegio, quod fingularia fua Privilegia fingulari femper vigilantia confervavit, constantia defendit; quodque Præfecti fibi eligendi jus, a jactis ufque mœnium fuorum fundamentis concessum fimul & abreptum fumma fua fortitudine recuperavit, atque e Regiis pœne manibus extorfis; Virtutisque fuæ fructus, Te tandem Præfide, jam uberrimos percipit: Tu, inquam, iis moribus, ea difciplina inffitutus, quæ exoleta revocare, quæ vel amiffa recuperare noverit; quidni noftra facile jura omnia tueare; jura fcilicet, a primis rerum
 noftra-

nostrarum initiis concessa ; perpetuo usu confirmata ; legibus Angliæ munita ?


In nebulosa itaque hacce Cœli nostri facie; Academiæ tamen serio gratulandum est, talem ei obtigisse Governatorem, qui tempestates omnes noverit seu perite declinare, seu prudenter moderari, seu fortiter resistere ; neque Tibi ipsi, Vir Reverende, gratulari etiam minus liceat, Magistratum Tuum in ea incidisse tempora, quæ tantos tibi gloriæ atque laudis, quantos nobis ex Tua vigilantia felicitatis fructus allatura sint ; quæ scilicet Te totum, qualis sis, patefacient ; virtutes tuas omnes exponant, atque in lucem proferent ; ut admirentur nobiscum omnes necesse sit summam illam Tuam in rebus nostris defendendis Fortitudinem, in administrandis Prudentiam, in emendandis Virtutem.

Si quid vero adversi nobis evenerit ; si nonnullorum tandem invidiæ, temporibusque cedere cogamur ; una restat adhuc damna nobis refarciendi, & vulnera sanandi via : dum Alii scilicet in nos & studia nostra inquirere, dum mores nostros ad examen revocare, atque in judicium sistere minentur ; Nos ipsi potius in nosmet sedulo inquiramus ; Nobismet ipsis Censores, nobismet Judices simus ; Statutis nostris religiose insistendo pios, probos, severos ; Studiis diligenter incumbendo doctos, eruditos, claros nosmet efficiamus : Alii honoris Titulos,

D E D I C A T I O.

los, Doctoratumque ipsum artibus haudquam Academicis foras sibi quærant; Nos non nisi Liberali Doctrinæ, Probatæ Industriæ, Spectatæ Fidei honores nostros deferamus: Alii Ecclesiæ Beneficia, Dignitatesque occupent; Nos mereamur: Alii virtutis præmia, nos virtutem tamen teneamus: hisce armis, atque hac innocentia nostra muniti inimicorum facile impetus repellemus, vires frangemus; Maledicis silentium, Malevolis pudorem offundemus.

Hæ Tibi, Vir Amplissime, gubernandi erunt artes; hæc Tui Magistratus laus & gloria; hanc Majorum disciplinam, hos antiquos mores Autoritate Tua restituere; Exemplo confirmare; Decretis stabilire. *Vale.*



2

duplex Ferruleum scriptus

3

B R

a

b

c

d

A

B

c

D

B

S

j

B-2

B. *Bibliotheca vetus armaris suis, quae Clapio vocamus, inscripta.*

B-2. *Bibliotheca veteris pars altera, in Clapio etiam deservata, quam quoniam reliquis antiquior & scholarum Publicarum in fronte posita sit, denudam, atque inferri manum quam Schema exhibet, amplij, andam de reverit Academia.*

B R *Bibliotheca Regia, in quam locum aliam quadratum ad sinistram conlasi jam servantur libri omnes a Rege donati, quibus recipiendis et Armata, seu Clapio, et utiq; Conclavae parte, ut in Veteri Bibliotheca, extracta sunt, perpetuumq; preterea et duplex quoddam Ferruleum Caput utiq; libros excipiens, quod meliorem locum sicut, parq; longitudine a sole usq; ad totum per septem libris omnibus capere nequamquam valent, quorum pars in super magna huius aliter confusa praet.*

S *Conclavam, seu Demus ut dicitur, Conscriptus, quae post absolutam disputationem (quam scholae iam in Schema) Bibliotheca adhaerenda est, a quo demum inferri manum quadratum posita, temp; sparet.*

*Conclave
Cajj versus*

BIBLIOTHECÆ
CANTABRIGIENSIS
ORDINANDÆ

METHODUS.

POSTQUAM Senatui Academico *no-*
vum Proto-Bibliothecarii munus eodem de-
creto instituere simul & ad me deferre
visum est; ne collati temere beneficii infamiam
Gravissimo Ordini inurerem, statui illico omni
studio, & opera, viribusque meis eniti, ut tam
honorifico vitæ meæ studiorumque testimonio
aliquatenus responderem, & tanto hoc, tam-
que insperato prorsus honore memet haud in-
dignum præstarem; utque omnibus præterea
ostenderem, munus ipsum non *mei solius*, sed
Bibliothecæ omnino causa, non (quod susurrari
audiebam) pro *gratia*, qua in Academia florui,
sed pro *rei ipsius necessitate* esse institutum.
Quum igitur ex *præsenti Bibliothecæ publicæ*
statu otii mihi aliquid temporisque dari viderem,
id statim arripui, atque ad ea penitus studia
contuli, quæ *Bibliothecarii propria* existimantur,
quæque in *ipsius Bibliothecæ* fructum redundare
aliquando poterint. *Surgentia* vero jam *Thea-*
tri mania quum libros versandi, utendique spem
haud longinquam præbere videantur; ne in me
negligentiæ aliquid aut moræ crimen resideret;

quicquid mihi *de re Bibliothecaria* cogitanti unquam vel legenti occurrerat, scriptis mandandum, cumque amicis communicandum duxi, ut aliquid inde in publica Academiæ commoda decerpi forſitan poſſit: utque rebus iis omnibus, quæ ad *Bibliothecæ inſtructionem, ornatumque* pertineant, mature perpensis atque accurate conſtitutis, Bibliothecarii ſeſe alacres præſcripta ad munia accingerent, neque loca *libris accipiendis* paratiora, quam *eis occupandis* libri reperirentur: etenim dum tanto apparatu, tantisque ſumptibus honeſta libris domicilia, dignæque ſedes exſtruantur, turpe plane eſſet ſi hiſce Academiæ ſtudiis *Bibliothecarii* minus reſponderent, avidiſque bonorum omnium votis moræ aliquid *a ſe* interjici paterentur.

In hiſce vero, quæ de *Bibliothecæ ordinandæ ratione* diſputaturus ſim, eſſi nihil novi aut eximii eſſe fatiſ ſcio, ſpero tamen admoneri inde atque excitari poſſe eruditos, ut Studiorum & cogitationum partem aliquam huc conferant, & ſi quid in hoc genere conſilii habeant, id candide & libere impertiant: cum enim *ex egregia Regiſ liberalitate* tanta Bibliothecæ noſtræ facta ſit acceſſio, ut alias ubique omnes (quarum Indices ſcilicet impreſſos viderim) cum librorum numero, tum *præſtantia, delectuque* facile ſuperet, illam certe omnibus numeris abſolutam, omnibus modis ornatam, illuſtremque efficere debemus, ut huic tandem Academiæ non minus apud exteros gloriæ, quam domi fructus afferre valeat.

Quæ

Quæ vero dicenda sint ut facilius clariusque intelligantur, *Schema quoddam* adjunxi, interiorrem Bibliothecæ formam (qualis absoluta tandem ædificatione futura sit) etsi minus forsan exacte, ad rem tamen nostram satis apte referens.

Comparata itaque cum nobis fit tanta librorum omnium supellex; quod jam proximum est, eos *collocandi, disponendique* methodus aliqua excogitanda est, qua in *justam, pulchramque Bibliothecam* extrui ac ædificari possint: librorum enim quantuscunque numerus *sine ordine* congestus haud magis *Bibliothecæ*, quam *lapidum illa* ad nos advectorum *moles Theatri* nomen mereatur, donec *arte quadam & certo ordine* dispositi perfectam tandem structuram efficiant: *artem* vero *illam Aristoteles* invenisse, *Regesque Ægyptios* primus docuisse fertur [a]: Quo scilicet magistro *immensam illam Bibliothecam* & in toto terrarum Orbe celeberrimam instruxerunt: ab illo utique Authore *Bibliothecarii Ordinis inventio* requiri quasi de jure poterat, cujus unius Scripta (ut Hieronymus de Origene postea tradidit) *Bibliothecam vel implere* valuerint: libros etenim *idonee collocare* majoris esse prudentiæ videtur, quam *congerere*; hoc enim solius *pecuniæ*, illud non nisi *ingenii* vi perficitur; hoc *divitem* tantum, illud *doctum* postulat; Quodque *Plinius* [b] de orationis structura dixit, ad librorum etiam structuram æque pertinet: *invenire præclare in-*

[a] Strabo. l. xiii.

[b] Ep. l. iii. 13.

*terdum etiam barbari solent, disponere apte nisi erudit-
tis negatum est: neque minus propterea Aristoteli
debere videantur Bibliothecæ, quam Alexander
ille magnus; quem dicere solitum accepimus,
Se a Philippo patre corpus tantum habuisse, ab Ari-
stotele animum.*—Non opus est singula percur-
rere, quæ de *Bibliothecæ instruendæ ratione* a
Viris doctis commemorata unquam ac tradita
fuerint; sufficit enim dicere, librorum *juxta
facultates*, ut aiunt, *dispositionem*, seu *Ordinem*
quem *Classicum* vocamus, ex omnibus mihi
unice placere. Etenim *Ordo* cum nihil aliud
sit, quam rei uniuscujusque *in suo loco* collocatio,
quid aptius aut perfectius excogitari potest,
quam hujusmodi librorum distributio, qua sci-
licet in *Classibus propriis*, haud secus ac *in fami-
liis*, is singulis assignetur locus, qui *ætati, dig-
nati, & muneris rationi* maxime convenit? &
quum in animis hominum erudiendis librorum
omnis usus versetur, iste certe *ordo* præponen-
dus omnibus est, qui huic potissimum fini ac-
commodetur; qui scilicet eruditionis aliquid in
se non *contineat* modo, sed *doceat*; quemque
vel intuendo doctiores evadere valeamus: ex
hac enim librorum collocatione *Disciplinarum*
omnium *mutuam* inter se *connexionem*; ex hac
*scientiarum ortus, incrementa, varios casus, inte-
ritus, instaurationes*; ex hac, inquam, *historiam*
quandam literariam a primis retro seculis, ad
nostra usque tempora deductum, *sola fere Ord-
inis contemplatione* colligere & perdiscere liceat:
quodque Cicero [a] de *Ordine* generatim posuit,

[a] De Orat. l. ii.

de hoc præcipue *Bibliothecario Ordine* verissimum est; *memoriæ scilicet eum quam maxime lumen afferre*; atque *ad libros* itidem transferre liceat, quod de *sententiis, verbisque Oratoriis* idem ille summus *Magister* docuit: *illis [a]* scilicet *nec fructum nec splendorem inesse nisi diligenter collocatis*: hinc præterea *Authorum* in quavis disciplina *Principum facilis notitia, facilisque ad eos aditus* patet, quibus semel comparatis dimidium certe viæ, laborisque in omni studiorum genere confici videtur, τὸ δὲ μάθάνειν ῥαδίως ἢδὲ φύσει πάντων ἐστίν [b]. Hæc itaque tot, tantaque nullo fane labore, atque uno quasi temporis momento edificere jucundissimum fit oportet. De hujus autem *Ordinis ratione* atque instituenti methodo pluribus deinceps agam, ejusque *imaginem quandam, seu tabellam*, ut potero, adumbrare conabor.

Nollem tamen tam *superstitiosam* institui librorum in *proprias Classes* distributionem, quin illorum *formæ* simul & *magnitudinis* ratio aliqua sit habenda: in *librariæ* enim supellectilis, haud secus ac *domesticæ* dispositione, etsi *usus* præcipue spectari, nonnihil tamen *elegantiae* etiam tribui debet: librorum autem *maxime inæqualium* conjunctio, tanquam *Gigantis* cum *Pumilionis* commissio, deformis plane videtur, & aspectu ridicula. Quum vero *Bibliothecæ nostræ foruli* per *sex* quasi *tabulata*, variis voluminum

[a] Orator.

[b] Aristot.

formis accommodata, *duabus* hinc inde *alis* in altum sint exstructi; hujusmodi omnis offensio vitari facile poterit, si ejusdem facultatis, diversæ tamen magnitudinis libri per *varios hosce forulos* pro inæqualitatis ratione distribuantur.

Forulorum autem (quoniam mentio jam inciderit) *divisionem* immutari paululum vellem: etenim cum *unica* jam illorum *ala* (adjunctis eis, qui sub fenestris positi sunt) *distinctum quoddam Corpus*, seu *Armarium* conficiat, quod *Classem* improprie nominamus, & majuscula aliqua Alphabeti litera distinguimus; dum ejusdem areæ *pars altera*, seu forulorum *ala opposita ad aliam* omnino *Classem* pertineat (ut a. b. c. d.) vitandæ jam confusionis gratia, quam ista sæpe peperit distributio, vellem sane, ut *tota illa area*, quæ (ad formam literæ H dimidiatæ) *forulis* sub fenestra positis, *duabusque hinc inde alis* constet, *unicam* tantum *Classem* conficiat, *unica* Alphabeti *litera* distinguendam; utque idem forulorum numerus & forma ex adversa Conclavis parte litera Alphabeti proxima designentur (ut A. B. C. D.) quosque ejusdem argumenti libros A continere nequeat, B excipiat. Quoniam denique librorum novorum accessione crescat indies, augeaturque Bibliotheca necesse fit; ut nulla inde Ordinis perturbatio consequatur, locum aliquem libris istis adventitiis, five emptis, five dono acceptis dicatum velim, ubi reponi aliquandiu, & singulis demum annis, seu sex mensibus in Catalogum adscribi, &

in Classès suas distribui possint : quibusque tandem recipiendis *spatii aliquid* in singulis librorum forulis *vacuum* relinqui conveniat.

Hæc vero ut recte omnia instituamus, *commisceantur* omnino oportet *Utriusque Bibliothecæ* (*Regiæ* scilicet & *veteris*) libri : harum enim *perpætua disjunctio* magnam certe confusionem & multa incommoda pareret ; librique inde minus cum *ad usum prompte*, tum *ad aspectum venuste* disponderentur, in quibus omnibus Bibliothecarum laus, utilitasque consistere videntur ; atque *ejusdem* non solum *facultatis, ejusdemque Authoris* libri, sed *ejusdem* etiam libri *partes ex* variis diffitisque hinc inde locis quærendi sæpe colligendique essent : ipsiusque adeo Bibliothecæ splendor, dignitasque diminuerentur, quæ *distractis, disjunctisque* copiis minus sane illustris, minusque veneranda appareret ; collectis autem in unum viribus eruditos omnes admiratione quadam commoveret, dum incredibiles ejus in omni genere literarum opes *explicitis ordinibus & continua serie* exhibitas intuerentur. Siqui vero existiment libros omnes a *Serenissimo Rege* donatos ob celebriorem rei memoriam (quam sane & *omni laude dignam* judico, & *sempiternam fore* spero) *sejungi* semper a reliquis, *separatimque custodiri* oportere ; recordentur velim, huic aliunde satis esse provisum, ex *annua* scilicet *solennique Benefactorum nostrorum commemoratione*, qua cautum est ab Academia, ut grata tam insignis beneficii celebratio omni posteritati commende-

tur,

tur, ipso semper voluminum *numero & pretio* simul commemoratis : sin majorem adhuc diligentiam curamque postulare res tanta videatur, singula præterea volumina *gentilitiis Armorum Regiorum insignibus* ornari atque a cæteris distingui possint : ineptum autem ridendumque plane esset, si libros hosce ad literarum studia promovenda libere & absque ulla conditione datos, iniquis ipsimet conditionibus regulisque, usui, cui dicati erant, minime accommodis, subjiceremus.

Videmus autem in Schemate adjuncto *loca quædam quadrata*, (1. 2. 3.) quæ *quatuor illa Bibliothecæ conclavia* connectunt inter se, communiaque & pervia reddunt : hæc, si quærat, quibus usibus destinari, qualique suppellectile instrui velim, vix habeo quod respondeam ; illorum nempe forma & situs ratio efficiunt, ut neque in eadem Armaria, ac reliqua Bibliotheca, dividi omnino, neque Disciplinæ alicujus libris præcipue conservandis disponi commode possint : rem vero attentius consideranti aptissima tandem visa sunt rebus eis omnibus excipiendis, quæ *elegantia* magis sint quam *necessaria*, quæque ad *speciem* potius quam *utilitatem* Bibliothecæ pertineant : *Tabulas* velim *pietas*, *Signa*, *Statuas Græcorum Veterum & Romanorum* ; *Benefactorum* etiam *Doctorumque* omnium, qui Academiam fama, scriptisque suis illustraverint, quotquot comparari poterint *imagines*,

Stabunt

Stabunt olim hoc in loco *Illustres illi Viri*, quorum *præsidio Musæ jam nostræ efflorescunt*, quorumque *munificentia mania nostra surgunt*: *stabit hic*, inquam *Marmoreus*, *Comes Ille noster Anglesensis*, (*mibi sane omnibus officiis prosequendus, laudibus celebrandus*) *cujus nomen huic nostræ Cantabrigiæ splendori semper decorique erit*; *quam summa jam benevolentia fovet, beneficiis auget, moribus ornat*: *cui si propter merita in Almam Matrem (quæ maxima tamen extant) honos iste minus deberetur*; *at ingenium acre, at doctrina, quæ præditus est, eximia in hoc certe Musarum sacrario præcipuum ei locum vendicaret.*

Hoc autem genus etfi *speciosum* magis, ut dictum est, quam *utile* censei soleat, ad *eruditionem* tamen haud parum valere, *Historiæque* potissimum inservire videtur; dum quæ in libris passim memorantur, quæque ex omni antiquitate præclare gesta legimus, *memoriæ* facile suggerat, oculique quasi subiciat: atque *hac* propterea *supellestile* omnes omnium gentium eruditi *Bibliothecas suas* ornare atque instruere consueverint; æquum scilicet existimantes & rationi quam maxime congruens, quibus in locis *immortales doctorum animæ* perpetuo loquantur, in iis etiam *Corporum simulacra* quædam fingi atque asservari debere: *Εγὼ δὲ, ὦ Νικόλεις, ἠγοῦμαι μὲν εἶναι καλὰ μνημεῖα καὶ τὰς τῶν σωμάτων εἰκόνας.* *Isocrat.* Ciceronem autem horum omnium *summo pere studiosum* fuisse plurimæ

plurimæ ejus epistolæ demonſtrant. Scribens enim ad Atticum Athenis commorantem, [f] *Hermæ tui Pentelici, inquit, jam nunc me admodum delectant: quare velim & eos & ſigna quam plurima, quam primumque mittas, maxime quæ tibi gymnafii, xyſtique videbuntur eſſe; nam in eo genere ſic ſtudio efferimur, ut abs te adjuvandi, ab aliis prope reprehendendi ſimus.* Et rurfus, [g] *Signa Megarica, & Hermas vehementer expecto; quicquid ejusdem generis habebis dignum Academia quod tibi videbitur, ne dubitaris mittere, & arcæ noſtræ confidito. Arcam vero illam exhauſiſſe tandem, atque ex avida horum coemptione in ære plane alieno [b] fuiſſe videtur.* Sed vix unquam apud optimos Romæ veteris ſcriptores Bibliothecæ alicujus illuſtris mentio incidat, quin & ſtatuas & imagines ibi dicatas commemorari ſimul inveniamus: ut *Suetonius de Tiberio: [i] Scripta eorum, inquit, & imagines publicis Bibliothecis dedicavit.* Et *Plinius de Siliî Italici villa: [k] Multum ubique librorum, multum ſtatuarum, multum imaginum.* Hæc igitur Bibliothecarum omnium tam propria, atque his præcipue locis tam apta eſſe ornamenta videntur, ut ſine Academiæ dedecore quodam & reprehentione deſiderari plane nequeant. Hic inſuper, ſi videbitur, *antiqua Numiſmata, Sigilla, Annuli & quicquid vel natura vel artis rarum habeatur, in loculamentis, nidulisque apte diſpoſitis condi*

[f] L. i. Ep. 8. [g] Ibid. Ep. 9. [b] Ad Fam. l. vii. 27. [i] C. 70. [k] L. iii. Ep. 13.

omnia & reponi possint. Hæc denique loca *sellis, mensis*, rebusque aliis omnibus instructa vellem, quæ doctorum hominum *congressus* ibi & *colloquia* quam maxime provocent, qui viro- rum ex omni gente ac ætate principum *corona quadam* cincti, *locique reverentia* permoti nihil *abjectum* aut *humile* cogitare audebant, sed *æmulatione* potius accensi Veterum Illorum glo- riam scriptis factisque exæquare conabuntur: *locorum enim admonitu*, inquit Cicero, [1] *acrius & attentius de claris viris cogitare solemus*. Ro- gandi igitur, atque omnibus modis exorandi sunt viri ubique eruditi, qui literarum Studiis, atque huic præcipue Academiæ faveant, ut hu- jusmodi aliquid ex Museis suis ad Bibliothecæ Publicæ ornatum & splendorem conferant; cu- jus beneficii memoriam, quibus par est, gra- tiis celebrandam atque omni posteritati traden- dam curabimus.

Conclave autem illud, quod a cæteris sejun- gi, atque ultra reliqua ædificii latera *Caii versus* in longum excurrere videmus, *librorum MSS Bibliotheca sit*, focoque iis ab humore noxio conservandis apto instructum: quod cum quin- quaginta circiter pedes longum & viginti sep- tem latum sit, huic usui accommodum satis videtur. In hoc etiam (Bibliothecæ utpote vestibulo proximum) Bibliothecarii quotidiano munere fungentes, sese recipere, advenas ex-

[1] De fin. l. v.

pectare, omnibusque Bibliothecæ occasionibus præsto esse possint : Sin autem MSS Codicum receptui ob lucis inopiam aliamve quamlibet causam minus tandem aptum reperiatur, ii tum in iisdem armariis, ac libri impressi, reponi commode possint, *valvulis* autem *clavibusque* (ut apud *Trinitonenses*) a vulgari usu seclusi & in tuto collocati.

Libris vero pulchro tandem ordine dispositis, sequitur jam *Catalogi conficiendi* cura ; res sane magni momenti, multique sudoris : non temere enim eum atque oscitanter institui (quotidianorum Catalogorum ad instar, ubi multa omiſſa, & confusa omnia videamus) sed diligenter & accurate describi velim ; ut *Bibliotheca illa*, cujus notitiam sit exhibiturus, dignus plane reperiatur : in *Catalogo* autem recte instituto uniuscujusque libri *historiolam* quandam requirimus, quæ singula ad eum dignoscendum atque a cæteris omnibus distinguendum necessaria quam breviter, quamque dilucide exponat ; unde præter *Authoris*, *Editoris*, *Interpretis* nomina, uno simul intuitu pateat, de quo *argumento* & *qua lingua* fuerit scriptus, *quo loco*, *anno*, *quaque voluminis forma* impressus : addito præterea (ut nonnullis placet) *quo Typographo*, *quo Characteris genere*, *quotaque editione* prodierit. *Catalogi construendi* methodum quod attinet, *Ordo librorum Classicus*, *Authorumque Alphabeticus* mihi longe commodissimi videntur ; ad *perfecti* vero *Catalogi* constructionem *ambobus* certe

conjunctis opus est : illo scilicet, ut usibus, quos supra attigi, inferviat ; hoc, ut libri, quem quærimus, Classẽm, locumque demonstrat ; in quo usus ejus præcipue consistere videtur : illo, inquam, ut illustris, perfectæque Bibliothecæ eleganti Ordine dispositæ ideam pulchram exhibeat ; hoc, ut *Indicis* illi officium præstet. Hujusmodi igitur *duplicem Catalogum* non describi modo, sed in publica literarum commoda *Typis etiam mandari* vellem ; ut locupletissimæ Bibliothecæ fructus cum viris omnium gentium eruditis candide & ingenue communicemus : insignium enim Catalogorum editiones maximum Orbi literato emolumentum, maximum literarum studiis incitandis, promovendis, perficiendis adjumentum afferunt ; omnisque ex hisce sane fontibus haurienda est *rei librariæ notitia* ; quam, a nostris nimis etsi neglectam, haud in infimo tamen eruditionis gradu ponendam arbitror : *scire enim* (ut doctus quidam [m] monuit) *ubi aliquid possis invenire, magna pars eruditionis est.*

Catalogorum autem idem plane munus est in *Republica literaria*, quod in *Romana* fuit olim *Nomenclatorum* ; indicant enim *Doctrinæ Candidatis* nomina illorum, quos *prensare*, quos *colere*, quorumque *ope uti* oporteat, ut honores, quos ambiunt, consequi possint : quamque propterea jucundæ, quam doctis omnibus desideratissimæ illorum prodeant impressiones, eruditorum ubi-

[m] Schultetus delic. Evang.

que scripta, epistolæque abunde testantur. *Nescio* (inquit [n] *Coringius*) *qua arcana voluptate vel soli tituli librorum mulceant ingenuos quosque Φιλομαθειῖς animos.* Et *Jos. Scaliger* ad *Gruterum* [o]: *Indicem Bibliothecæ vestræ sedulo legi: locupletior est, & meliorum librorum quam Vaticana; itaque voluptati fuit legisse.* Horum igitur plures sane impressos videremus, ni sumptus, laborque in iis edendis pæne infinitus obstarent: etenim hoc si quis vulgare quiddam, effectu facile, nec multæ industriæ opus existimaverit; hospes plane *in re libraria* sit oportet, nec in hujus generis Authoribus versatus; qui uno omnes ore, summam rei difficultatem prædicant. *Mich. Mattaire*, Vir sane doctissimus, auctorque gravissimus: *Quisquis*, inquit, [p] *hujusmodi operis sategerit, ei non tantum multum tædii & laboris devorandum, pertinax adhibenda industria, sed minime vulgaris conferenda ad hoc propositum in evolvendis libris, iisque (quotquot huc spectant) omnibus examinandis exercitatio. Frustra id aggrediuntur, qui titulo tenus duntaxat sapiunt, &c.* Author *Sytematis Bibliothecæ Jesuiticæ Parisiensis, Catalogum*, inquit, *tam numerosum typis edere, infiniti est laboris, immodicæque impensæ: hisque se a Catalogi editione deterritum fuisse innuit.* *Coringius* itidem [q] *Indicis Bibliothecæ Augustæ deponendam omnino*

[n] De Bibliotheca August. p. 5. [o] De Biblioth. Heidelberg. [p] Præf. Annal. Typogr. Vol. II.

[q] Ibid. p. 43.

expectationem monet, tanquam rem effectu non difficillimam duntaxat sed impossibilem. Tho. Hyde Bibliothecæ Bodleianæ Præfetus in Catalogi istius editione se novennium integrum non sine summa industria contrivisse profitetur; qui tamen Alphabetice tantum constructus est, dimidiamque librorum nostrorum partem haud multum exuperat: post novenniales autem hosce labores negligentia tandem reprehensionem Vir doctus efugere nequii, quasi opus quoddam imperfectum & minus utile ediderat, propter omissum scilicet, quem diximus, Classicum librorum Catalogum. Bailletus enim (eruditus & ille quidem Bibliothecarius) illa ipsa, inquit, [r] quæ Thomæ Hyde arrisit methodus, ut ad studiorum utilitatem minus necessaria, ita nec sola debuit adesse, sed posterior, cui priorem argumentorum sive rerum Ordinem, utpote longe utiliorem præmitti oportere nemo non intelligit: hæc oportuit facere & illa non omittere.

In libris porro *evolvendis*, ac in *proprias Clases* distribuendis, ii omnes notari & colligi a Bibliothecariis debent quorum *bina* vel *plura* occurrant *ejusdem editionis Exemplaria*; quibus scilicet venditis demum aut commutatis, alii facile omnes, quos in disciplina aliqua maxime desideremus, pecunia inde confecta comparari. Bibliothecæ defectus suppleri, Catalogusque adeo auctior & perfectior fieri possit. In hoc vero

[r] Præf. Biblioth. Lamonianæ.

toto opere perficiendo me nullam unquam laboris partem, quam mei ferre humeri valeant, declinaturum polliceor : quod de *Bibliothecario* itidem altero, viro quidem industrio, confirmare auisim : mihi tamen deplorata plane tota res effret, utpote *utriusque longe vires exuperans* ; nisi in *ea* effemus *Academia*, in qua prompta nobis parataque sint tanta doctorum hominum auxilia ; quos ad oneris hujusce societatem & partitionem quandam advocatos strenue nos consilio, studio, opera adjuturos esse confido.

Consuetudinem illam quod attinet, libros impressos e *Bibliotheca Publica* promendi, atque ad cubicula sua asportandi, a quibusdam reprehensam quidem ; integram tamen Academicis conservari vellem ; utpote Bibliothecarum institutioni imprimis consentaneam, studiorumque rationi longe commodissimam ; quæ a publicis semper locis abhorrent, atque otium & secessum omnino requirunt : librique hoc modo non nisi *œnori dati* magnas sæpe Bibliothecæ præstant *usuras*, novorumque librorum fructum ei quendam & incrementum haud raro pariunt : ex hac vero librorum promendorum facultate nonnullos omnino eximi oportet, qui privati nequaquam usus esse, sed communes omnibus in Bibliotheca perpetuo servari debent : ut *Dictionaria*, *Indices*, *Repertoria*, *Bibliothecæ Authorum seu Facultatum*, *Tbesauri Antiquitatum*, *Rymeri Fœdera*, *Biblia etiam Polyglotta*, &c. totumque illud genus, quod prout studiorum ratio postulet, consulere

consulere potius quam perlegere opus sit : libros denique a Studiosis ita desumptos *legibus* ad hanc rem constitutis prorsus subijci, atque ad *certum, definitumque tempus* restitui necesse est, ut videre tandem poterint *Bibliothecarii*, nequid inde damni capiat Bibliotheca. *Manuscriptorum autem Codicum* alia plane ratio est, omnesque, quos noverim, Bibliothecarum Institutores quam diligentissime eos custodiri & vix ultra ipsos *Bibliothecæ limites* evagari debere censuerunt ; judicantes scilicet, idque quidem sapienter, *pretiosissima hæcce Bibliothecarum suarum ornamenta*, quam rarissime desiderari atque abesse oportere ; quorumque damnum refarciri nullo modo & compensari possit, quam paucissimis jacturæ casibus committi debere : hosce igitur libros etsi gravissima de causa e *Bibliothecæ mœnibus* exire nonnunquam paterer, nequaquam tamen abesse diutius, quam ipsa utendi causa & necessitas plane postularent : atque hæc *Codicum Manuscriptorum lex* a Majoribus accepta in hac nostra Academia *inviolata* semper obtinuit.

Quidam tamen apud nos, *viginti fere Codices MSS. e Bibliotheca publica domum* sibi transtulit ; quorum aliquos *undecim*, alios *octo*, omnes autem *quinque ad minimum annos* sibi quasi proprios servavit ; atque inter alios celeberrimum illud *Evangeliorum Exemplar*, quod a *doctissimo Beza* dono olim acceperat Academia ; maximum plane *Bibliothecæ nostræ lumen*, clarissimumque *summæ vetustatis monumentum* ; quodque Ad-

venæ, Curiosque omnes unice ferme omnium videre & versare cupiunt : ejus tamen *septem jam circiter annos* non modo non *utendi*, sed *ne conspiciendi* quidem, nisi impetrata pius a *Viro bono* venia, copiam habuit Academia : etenim cogitat *Vir modestus* aliis demum omnibus persuadere, quod sibi jam diu habet persuasissimum, se *unum* esse in hac Academia, qui *Manuscriptos libros* evolvere dignus haberi mereatur. Huncce vero *Bezæ Codicem*, postquam repetitis nuntiis revocare frustra laborassem, ad Bibliothecam tandem paucis ante diebus, una cum reliquis illis supra memoratis, remittere dignatus est. Ex *Bibliotheca autem Eliensi* (quam *dono vere Regio* jam possidet Academia) libros itidem haud paucos, cum *Manuscriptos*, tum *perantiquarum* quosdam *Editionum* & melioris notæ impressos mutuo illum olim accepisse comperio ; de quibus post tot annos restituendis *monitus* jam tandem cogitet velim, ne *per Judicem* illos me repetere cogat ; etenim si hujusmodi libros *sine venia*, aut *cautione legitima* tam diu apud se detinere sibi *baud inonestum* putet, at mihi certe esset, si paterer.

Non mei jam instituti est ad minutias illas, nugasque descendere, quibus tam putide commorari sæpe soleant *Bibliothecariæ*, rei scriptores ; regulas scilicet *Bibliothecæ verrendæ* præscribendas, librorumque a pulvere & sordibus purgandorum præceptiones : hujusmodi etenim omnia *Ufus*, *Sensusque communis* expedire satis apte

apte & docere valeant : reliquum solum est, ut *Ordinis istius Classici* quem in librorum collocatione observandum omnino censeo, *tabellam quandam* seu *synopsim* exhibeam in varia Capita & Titulos pro rerum & argumentorum varietate distinctam. Nonnulli hujusce Artis Doctores, dum facilem, simplicemque quam maxime (naturæ quasi consentaneam) affectent viam ; ob sectionum, titulorumque paucitatem *perturbata* omnia, *vaga, minusque distincta* relinquunt : alii interea dum artem præcipue ostentare, ac *elaboratam quandam Ordinis rationem* instituire cogitent, confusionem illam, quam tollere præ se ferunt, nimia divisionum subtilitate & multiplicatione pariunt : hæc duo vitia, quantum potui, vitare studui ; collatisque inter se *haud paucis præstantissimarum Bibliothecarum Catalogis*, quicquid mihi recte in aliquo positum videbatur, transtuli statim & decerpsi ; quod autem in omnibus desiderari adhuc putabam, id pro meo ingenio explere, & perficere sum conatus : neque tamen stultus adeo sum laborum meorum æstimator, ut tam feliciter me omnia putem assequutum, ut nullus aliorum in hac causa studiis nullus *δευτέραις*, ut aiunt, *Φροντίσι* locus sit relictus ; fateor enim hisce me in literis *parum versatum, novitiumque* plane esse ; nihilque in animo habuisse antiquius, quam ut aliis perfectius aliquid, & ad rem nostram accommodatius excogitandi ansam præberem ; quod si fuero unquam consequutus, maximum me laboris mei fructum percepisse arbitrabor.

IN sequenti hacce *Librarii Ordinis* tabella *Jus* *Canonicum* a *Civili*, *Historiamque* itidem *sacram* a *Profana* secernendam duxi, ut quicquid ad *Theologiam*, remque omnino *Ecclesiasticam* pertineret, perpetua serie connexum sub uno aspectu caderet, unumque Corpus conficeret: *Historiæ* autem *Sacræ Profanæ* proxime subjeci, quippe etsi rerum, quas tractent, diversitate satis inter se distinguantur, ejusdem tamen quum generis sint, haud locorum intervallo ab invicem sejungi debeant.

Singularum *Nationum Historiis* subjungendos omnino cenfui *Antiquitatum*, *Inscriptionum*, *Numismatum* libros, *vitasque* *Hominum* in *unaquaque* illustrium; quæ propter argumenti affinitatem ad generalem Regni cujusvis *Historiam* explanandam & perficiendam quam plurimum valent.

Geographiam, contra ac plerique soleant, ad *finem Historiæ Classis* rejeci, *Historiæ* quasi *Appendicem*, eique illustrandæ, atque animo infingendæ potissimum inservientem; quam vero ipsam per se, nisi *degustata prius Historia* sive *sacra*, sive *profana*, haud cum voluptate, aut fructu aliquo attingere possumus.

Dictionaria & *Lexica* in *singulas Facultates*, seu *Classes*, ad quas pertinent, *singula* distribui, ut *Lexica Medica* in *Medicinam*; *Historica* in *Historiam* &c. quod commodius longe, & ad usum aptius

aptius judicavi, quam si tam varii, tamque diversi prorsus argumenti libros, qui nihil præter nomen inter se commune habeant, in *unum Lexicographorum titulum* omnes conjecissem.

Grammaticis & Linguarum Lexicis extremum inter literas humaniores *locum* assignavi; utpote quæ non nisi ex prius editis *Oratorum, Poetarum, &c.* libris confecta penitus & collecta fuerint: nihil enim est, quod *Natura* non primum invenerit; *Ars* deinde rei inventæ disciplinam quandam, regulasque effinxit.

Singulorum Authorum opera *utcumque varia & Miscellanea*, in unum collecta, simulque edita, nequaquam ab invicem distrahi vellem; omnia vero *præcipue* atque *illustrioris* alicujus partis (qua ipse maxime Author dignoscitur & celebratur) sortem & partitionem sequi debent: ut *Cicronis opera omnia* in Oratoribus; *Plutarchi* in Biographis annumerentur.

Quæ vero tam *singularis*, tamque *inutilitati* sint argumenti; quæve tantam *variorum, volantiumque*, ut aiunt, tractatum collectionem & farraginem complectentur, ut in *certam aliquam Classem* haud facile reduci queant; in unum omnia collecta *Classem quandam Miscellaneam* in extrema Bibliothecæ parte conficiant.

T H E O L O G I A.

BIBLIA.

Polyglotta. Partesque Bibliorum polyglottæ.
Hebraica itidem, aliarumque linguar. Orient.
separatim.

Græca.

Latina.

In linguas vulgares translata.

Novum Testamentum, ejusque partes.

Concordantiæ, Lexica, Indices, Phrasæ, Sen-
tentiæ Biblicæ, &c.

BIBLIORUM EXPLANATORES.

Critici, qui varias lectiones, emendationes,
feu de Interpretationibus, Interpretibus,
& libris Canonicis scripserunt.

Glossatores, Scholiastæ, Paraphrastæ, Catena-
rum effectores.

Commentatores in Utrumque simul Testa-
mentum.

in Vetus solum ejusque partes.

in Novum ejusque partes.

Rabbinorum Commentarii, Quique de rebus
Judaicis scripserunt.

PATRES GRÆCI & LATINI.

Patres, Theologicæ Græci temporis ordine
dispositi; atque Illorum deinde tractatus
quorum tempora incerta.

Patres Latini ad finem 12^{mi} seculi, quo nata
est

est Schola; Scriptoresque itidem quorum tempora incerta.

Collectiones, Bibliothecæ, Thesauri, Auctaria, Antiquæ lectiones, Spicilegia, Dogmata, Sententiæ Patrum.

THEOLOGIA SCHOLASTICA.

Hujus Scriptores temporis ordine dispositi.

THEOLOGIA MORALIS.

Hujus Scriptores eodem ordine.

Casuum Conscientiæ Scriptores.

THEOLOGIA MYSTICA sive ASCETICA.

Qui de praxi virtutum in genere, & tota vita Spirituali scribunt; deinde qui de singulis virtutibus.

Qui variis ætatis gradibus, aut vitæ conditionibus regulas præscribunt; ut Pueris, Adolescentibus, &c. Principibus, Episcopis, Conjugibus, Virginibus, &c.

Qui de cultu Dei & Divinarum Trinitatis Personarum.

Qui de cultu Virginis, Angelorum, Sanctorum.

THEOLOGIA CONCIONATORIA.

Qui artem docent, quique materiam subministrant ex Scriptura, Patribus.

Qui conciones scripserunt per annum totum, ejusve partes, quique miscellaneas ediderunt &c. Concionatorum Bibliothecæ.

THEO-

THEOLOGIA POLEMICA.

Adversus omnes Christi Religionis hostes,
Atheos, Infideles.

Adversus Hæreticos.

Ecclesiæ Romanæ & Orientalis inter se con-
troversia.

Romanorum itidem & Reformatorum cujus-
cunque nominis.

Romanorum inter seipsos.

Reformatorum inter seipsos.

CONCILIA, JUS CANONICUM & PONTIFICIUM.

De Conciliis in genere, eorum forma, au-
toritate, omnibusque eo pertinentibus.

Conciliorum Generalium Collectiones.

Concilia Generalia separatim edita ordine
Chronologico.

Concilia Nationalia, Provincialia, ordine Re-
gionum & Urbium.

Canonum Collectiones; Corpus Juris Cano-
nici; Epistolæ decretales, Bullæ, &c.

Canonistæ, sive Commentarii, tractatusque
generales & particulares Juris Canonici,
ordine Chronologico.

De Ecclesia, ejusque Hierarchia in genere;
de potestate Ecclesiast. & Civili; Conci-
liorum & summi Pontif. autoritate; Sa-
cerdotii & Imperii concordia.

De Cardinalibus, Legatis, Episcopis, Ab-
batibus, Parochis, Canonicis &c. de Be-
neficiis Ecclesiast. Sanctiones Pragmaticæ;
Concordata.

De Clericis Regularibus in genere.

Regulæ, Constitutiones Regularium; Ordinum Monast. Militar. Monial.

De Disciplina & Censuris Ecclesiast. Inquisitione, &c.

De Divinis Officiis, & ritibus Ecclesiast. in genere.

Liturgiæ, Officia, & libri rituales Ecclesiarum singular. & Ordin. Monast.

HISTORIA SACRA & ECCLESIASTICA.

Chronologia & Historia Sacra Veteris & Novi Testamenti.

Historiæ Ecclesiasticæ Universalis Scriptores ordine temporis & linguar.

Historiæ Ecclesiarum singularum; Græcæ, Romanæ, &c.

Vitæ & Acta Sanctorum, Martyrum, Pontificum Rom. Cardinalium, virorum & foeminarum pietate præstantium.

Historiæ Clericorum Regularium in genere; deinde singulorum Ordinum Monasticorum & Militarium.

Historiæ & Chronica Monasteriorum, locorum sanctorum, Miraculorum, Reliquiarum & Sacrarum Imaginum.

Hæresiologia.

Bibliothecæ & Catalogi Authorum Ecclesiasticorum.

Geographia Sacra & Ecclesiastica. Notitiæ Episcopatum, &c.

HISTORIA

HISTORIA PROFANA.

De Historia conscribenda & legenda; de
Historicis, &c.

Chronologia & Historia Universalis; Chronica generalia, &c.

Historia Græca Antiqua, Veterumque Monarchiarum; item Antiquitates, Inscriptiones, Numismata Græca.

Historia Romana ab Urbe condita ad Imperii translationem; Antiquitates itidem, Inscriptiones, Numismata.

Historia Byzantina ad captam a Turcis Constantinopolim.

Historia Imperii Occidentalis.

Historia Saracenicæ & Turcicæ.

Historia Magnæ Britannicæ, & singularum ordine suo Europæ Regionum; item Antiquitates, Inscriptiones, Numismata, Vitæque Hominum in singulis gentibus illustrium.

Historia Miscellanea, Fabulosa, Genealogica, Heraldica.

Historia literaria; Continens historiam Academicarum, Typographiæ, Bibliothecarum: vitas, elogia, epitaphia Virorum dignitate & literis illustrium; Bibliothecas Universales Authorum; particulares Regionum, Ordinum, Civitatum: librorum Catalogos.

Rerum

Rerum Asiaticarum ; Africanarum ; Americanarum ; & variarum Pergrinationum Scriptores : Itineraria Nautica.
Geographi veteres & recentiores, generales & particulares : tabularum Geographicarum & Maritimarum Collectiones.
Dictionaria denique & Lexica Historica, Geographica.

JUS CIVILE.

Jus antiquum Græcum ; Romanum ; Leges antiquæ ; Codex Theodosianus ; Corpus Juris a Justiniano edit. Novellæ Constitutiones ; Basilicorum libri, seu jus Græco-Rom.
Juris consultorum Commentarii, seu tractatus varii in unum collecti, Concilia, Decisiones juris.
Tractatus de singularibus Juris Titulis ; ut de Testamentis, Usura, &c.
Juris Gentium. Scriptores ; Fœdera & Pacta Principum ; Jus Feudale.
Leges & Constitutiones singularum Regionum ; Angliæ, Galliæ Italiæ, &c.
Bibliothecæ, Lexica, Indices, Compendia, Repertoria Juris.

PHILOSOPHIA proprie dicta.

Philosophi antiqui Græci, Latini, Arabes, & in eos Commentarii.

Phi-

Philosophiæ generalis Scriptores recentiores.
Tractatus Logici, Ethici, Oeconomici, Po-
litici.

Physici, Metaphysici, Theologia Naturalis,
Lexica Philosophica.

M A T H E M A T I C A.

Opera Mathematica generalia Veterum &
Recentiorum.

Arithmetica, Algebra, Fluxiones.

Geometria Practica, Speculativa, Trigonometria.

Astronomia, Ephemerides, Calendaria ; Gnomonica.

Astrologia ; ad quam revocari possint aliæ artes divinatrices.

Optica, Perspectiva.

Musica.

Mechanica, Statica, & de motu Corporum.

Architectura, Pictura, Sculptura, Artesque militares, Nautica, &c.

Lexica Mathematica, Technica, &c.

H I S T O R I A N A T U R A L I S.

Qui de Historia Naturali Universali scripserunt.

Qui de Homine & Animalibus generatim & speciatim.

Qui de Plantis, Re rustica, Hortis, &c.

Qui de Fossilibus, metallis, lapidibus, ignibus subterraneis, balneis & aquis mineralibus.

Qui de Monstris & Prodigiiis ; huc forsitan revocandi sunt qui de Spectris & Energumenis.

M E D I C I N A.

Veteres Medicinæ Principes Græci, Lat. Arab. & in eos Commentarii.

Recentiores, qui totam Medicinam attigerunt, quique de morbis in genere scripserunt ; Observationes ; Consultationes.

Qui de morbis Sexus, Ætatis, Gentisve aliqujus propriis, atque de morbis singulis scripserunt.

Therapeutici & Pharmaceutici ; qui de morborum curatione, & remediis, Venenis, Antidotis, & non-naturalibus scripserunt.

Chemici.

Anatomici, Chirurghi, qui in genere, deinde qui de singulis operationibus.

Lexica Medica ; Pharmacopœiæ, Dispensatoria ; Hippiatrica, seu de Equorum curatione.

L I T E R Æ H U M A N I O R E S.

Oratores Veteres Græci, Latini, cum Commentariis & Versionibus : Item Proverbia,
VOL. IV. F Phrases,

Phrases, loci communes, sententiæ ex eis collectæ ; quique artem deinde Rhetoricam tradiderunt.

Oratores recentiores ; qui Orationes encomiasticas, investivas, paræneticas, inauguales, libellos famosos latine seu linguis vernac. scripserunt.

Poetæ Græci & Lat. Veteres ; cum Commentariis & Versionibus ; quique artem Poeticam tradiderunt.

Poetæ recentiores omnium gentium ; qui latine, quique linguis Vulgar. Anglica, Gallica, Italica, &c. scripserunt.

Epistolares Scriptores Veteres & Recent. Græcæ, Lat. & in linguis Vernac.

Antiquarii, qui de Antiquitatibus in genere scripserunt ; Mythologi, &c.

Philologia ; operum Philologicorum collectiones ; Philologi Veteres ; Critici, qui observationes, emendationes, & varias lectiones ediderunt.

Polymathi, seu Polygraphi, qui varia scripserunt ad artes liberales pertinentia.

Grammaticæ, Lexica, Glossaria linguarum omnium, Orientalium, Græcæ, Latinæ, Vulgarium : item Lexica Rhetorica, Poetica, & Singulorum Authorum ; ut Pindaricum, Ciceronianum, &c.

MISCELLANEA quæ ad certam aliquam Classẽm reduci nequeant.

DE

MEDICORUM

APUD

VETERES ROMANOS

DEGENTIUM CONDITIOE

DISSERTATIO;

CONTRA VIROS CELEBERRIMOS

JAC. SPONIUM & RIC. MEADIUM, M. D. D.

Servilem atque ignobilem eam fuisse

OSTENDITUR:

DE
MEDICORUM
APUD
VETERES ROMANOS

Degentium Conditione

DISSERTATIO, &c.

VESPERI nuper cum Amici aliquot in Bibliothecam meam pro more coissemus, sermones cum familiares, tum eruditos etiam fortasse in noctem usque producturi; cumque unà, pro copia illa quam Cantabrigia nostra facilè suppeditat, ex singulis ferè Scientiis docti aliqui adessent; posteaquam, ut in congressu solemus, novi quicquid vel in re literarià vel publica evenerat, in commune singuli contulissimus; Medico quodam, qui ex Collegio Regali convenerat, viro in primis probo atque erudito, nonnulla fortè de Variolis apud nos tunc grassantibus interrogato; paucisque inde de varià curandi Methodo disputatis; ad Medicinam sensim labi sermo, inque Artis ipsius præmiis & honoribus, Collegiique præcipuè Londinensis famâ & celebritate totus versari cœpit.

Tum ego ; quàm vero, inquam, diversa est apud nos rei Medicæ facies, ac Romæ olim fuit, ubi ignobilis per tot secula, atque abjecta Ars ipsa jacuit, non nisi à Servis atque extremæ fortis hominibus tractata ; quamque tanquam illiberalem ac Cive prorsus indignam, de Romanis quidem nemo attingere sit dignatus ? Hic autem Medicus noster subridens, haud credidisse se, inquit, prisca illa, ac obsoleta planè quorundam commenta fidem adhuc apud ullos invenire ; quæ sæpius confutata, doctorum plerique tanquam vana & futilia jam diu repudiassent ; quæque *Meadius* ipse, Medicorum longe Princeps, oratione quadam Londini haud dudum habitâ, mera esse opprobia demonstraverat, omnemque illam servitutis infamiam à *Medicis* prorsus in *Chirurgos* amoverat.

Ego vero, *Meadii* licet Autoritate gravitèr commotus, cujus quidem Orationem necdum, videram, ne tamen quæ dixeram, temerè planè, nulloque Auctore effutisse viderer, haud destiti alia sane multa in eandem sententiam differere, & nonnulla Veterum testimonia, quæ memoriæ tunc suppetebant, plura etiam ex schedulis pollicitus, ad causam, quam susceperam, confirmandam adducere : neque d. cere dubitavi, *Meadium* ipsum duplicitèr planè labi videri ; primùm, quòd *Medicos olim Romæ liberos esse & ingenuos* ; deinde, quòd *Chirurgos à cæteris Medicis distinguere omnino & segregari* putaret ; cum Utrosque

que communi cum nomine, tum conditione apud Veteres Romanos usos semper esse certissimum esset.

Producta adeo paulatim hac nostrâ disputatione, & familiaritèr admodum, ut inter Amicos, ultro citroque pluribus verbis agitatâ ; interfatus demum *Juris Civilis Professor Regius*, Vir summâ modestiâ, parique eruditione ; mihi se planè assentire dixit ; propterea quod apud Veteres Jurisperitos in *Servorum familiis Medicos semper recenseri* animadvertisset ; [a] quibus tamen is honos habitus ; ut in *Servis familiam ducerent* ; ac in Mancipiorum venditionibus cæteris omnibus *pluris æstimarentur*. *Chirurgos* autem quod attinebat ; haud credere se, a *reliquis Medicis* antiquitùs eos sejungi ; at contra ; quasi ii potius pro Medicis soli essent habendi ; non meminisse aliam in Jure Civili Medicorum fieri mentionem [b], ac eorum, qui *manu curare*, seu *secare* consueverint.

Bakerus denique noster, qui colloquiis hisce nostris, non interessè solum, sed pro illa, qua præstat omnibus, Antiquitatis cognitione, præ-

[a] Servis autem & Ancillis majoribus decem annis, si sine arte sint, viginti solidis æstimandis ; sin autem Artifices, ad triginta solidos æstimatione eorum procedente. Notarios quinquaginta solidos æstimari, Medicos autem & Obstétrices sexaginta. l. 3. Cod. Commun. de legat. &c.

[b] Si Medicus Servum imperitèr secuerit, vel ex locato, vel ex lege Aquiliâ competere Actionem. l. 7. §. f. ad leg. Aquil.

esse etiam solebat ; cum opinioni meæ, suæ etiam sententiæ pondus, tanquam cumulum quandam adjecisset ; tum instare omnes ; ut hanc totam quæstionem, levitèr jam ac fortuitò inchoatam, accuratiùs ipse tractandam atque ad finem perducendam fusciperem ; quæque memoritèr tunc disputaram, quæque ex schedulis plura promiseram, in ordinem, quam primùm per otium liceret, redigerem, atque alio aliquo conventu nostro recitanda proponerem. Horum itaque Autoritati obsecutus, ea omnia, quæ ad hanc causam pertinere, totamque complecti videntur, collegi statim, atque in hanc, quæ sequitur, perpetuæ dissertationis formam conjeci.

Apud veteres Romanos Medendi artem non solum minùs excultam, sed ne cognitam quidem esse, ex Monumentorum omnium silentio suspicari fas est. Cum enim alia omnia, quæ ad vitam, cultumque civilem pertinent, accurate legibus descripta, atque egregie sint constituta ; nihil tamen in omni Civitatis temperatione, de Medicina unquam, vel à Regibus, vel à Consulibus institutum, aut præceptum reperitur : Nec per plura deinceps ab Urbe condita secula, ullius unquam Medici fama, nomenve memoriæ traditur ; vel artis quidem ipsius ulla ferè à Scriptoribus fit mentio. Neque mirum fane raram ibi rei fieri mentionem, cujus rarum fuisse usum necesse sit ; apud homines scilicet, summa temperantia educatos, summisque laboribus exercitatos ; quorum valetudini,

dini, uti ait *Valerius Maximus* [a], quasi *quædam mater erat frugalitas, inimica luxuriosis epulis*. Eadem quippe causa, nimirum vitæ victusque tenuitas, Urbem & Medicis & Morbis simul vacuum servabat; dum *illos* nec præmiis, nec quæstus spe ulla allicere paupertas civium valebat; atque *bis* parca illa vivendi ratio omnem quasi materiam præcidens, medendi planè usui superfedebat. Nobilium interea plerique valetudinis tuendæ disciplinam quandam in suâ quisque familiâ instituisse videntur, ut *Cato Senior* apud *Plutarchum* [b], cum magno Medicorum omnium contemptu, gloriatur, se oleribus, carnibusque ad concoquendum facilioribus, suam fuorumque valetudinem conservare solere.

In hoc rerum statu Rempublicam sine Medicis ad sexcentimum usque annum floruisse narrat [c] *Plinius*; qui tamen haud ita accipiendus est, quasi neminem omnino per tot secula Medicinæ operam dedisse afferuisset; quum Medicos, qualescunque tandem ii fuerint, diu ante Romæ extitisse, & multi Auctores sint [d], & ipse quidem *Arcagathum* quendam artem ibi

[a] Lib. 2. c. 5.

[b] In vita Cat.

[c] Hist. Nat. l. 29. c. 1.

[d] Peste Romæ circiter annum 301. grassante, Medicos ægris curandis non sufficere meminit *Dion. Halicarnasensis*. Plaut. Rud. 5. 3.

G R. Quid tu, num Medicus quæso es?

L A. Immo edepol una litera plus sum; quam Medicus. G R. Tum tu Mendicus es.

antea

antea exercuisse meminit [e] : itaque hoc solum significasse intelligendus est ; nullum illis temporibus Romanos habuisse Medicum, qui artis peritiâ, vel nominis famâ inclaruerit ; artemque ipsam interea jacuisse penitùs, nullo loco aut honore habitam, nec nisi à Servis & extremæ fortis hominibus administratam : quos fere omnes à Græcis, (qui magnam Italiæ partem, Siciliamque tunc omnem tenebant) aut bello captos, aut pretio emptos, aut fugitivos denique esse verisimile est : quum in Græcia Medicorum servulos, dominos confectando [f], ægrosque simul obeundo, Medendi sæpe artem didicisse, atque exercuisse certissimum est.

Horum autem nonnulli libertatem tandem, seu Dominorum gratiâ promerenda, seu pretio dato adepti, officinas plerumque ad operam suam, artisque instrumenta publicè vendenda conducere solebant, quas *Medicinas* Plautus vocat [g] ; quasque perinde ac tonstrinas, conciliis, cœtibusque otiosorum frequentari solitas docet. Servos enim ex pecunia illa, quam de demenso suo parcendo, geniumque defraudando corradere sæpe solebant, libertatem haud rarò emisse constat [h] : qui verò artem ullam habe-

[e] Ibid.

[f] Κατ' ἐπίταξιν τῶν δεσποῦν καὶ θεωρίαν καὶ κατ' ἐμπειρίαν τὴν τέχνην κλῶνται ὑπηρεταὶ τῶν Ἰατρῶν. Plato l. 4. 834.

[g] Amphit. 4. 1.

[h] Plaut. Rud. 4. 2. It. Senec. Ep. 80.

bant, omnium certè facillime peculium sibi, lucrumque quoddam adventitium, Dominorum concessu, ad emendam libertatem conficere poterant : quod Medicis præcipuè accidisse, dum eos tamen inter infimos hominum recenset, indicare videtur Seneca [a] : qui divitias in bonis nequaquam esse numerandas contendit, propterea quod ejusmodi bona *in Arte medendi humillimis quibusque* contingere videmus.

Quum verò Græcia tandem, & Asia subactæ, Imperioque adjectæ essent ; tum luxu inde omnia, deliciisque Romæ diffuere ; Græcorumque artes in Urbem introductæ priscam illam vitæ disciplinam simplicitatemque omnem corrumpere ; Principesque viri tum primùm Græculos undique servos, artibus instructos, & Medicinæ præcipuè peritos, qui et valetudini & luxuriæ simul ministrarent, conquirere sibi ac omni studio coemere cœperunt : neque Procerum posthac Divitumve domus ulla *Medicis Servis* vel pluribus vel singulis ad minimum caruisse videtur ; quorum deinceps in manibus Medendi Ars, ac provincia ferè omnis versata est. Medicorumque adeò numerus dum in Urbe magis indies crescebat, rarò tamen adhuc de Medicina ipsa, ejusve Professoribus, tanquam de re humili & abjecta nimis, apud Auctores mentio occurrit : neque præter *unum Arcagathum* cuivis unquam Medico ante J. Cæsaris æta-

[a] Senec. 85:

tem, jus Civitatis datum reperio : primusque, ut opinor, circum idem tempus *Asclepiades quidam*, Medendi arte celebris fuit ; qui cum Rhetor primò fuisset [a] nec remedia noffet, quum Rhetoricam tamen sibi minus quæstuosam invenisset, ut sagaci erat ingenio, ad Medicinam se convertit, ac famam inde magnam atque auctoritatem adeptus, in Ciceronis deinceps amicitiam & familiaritatem [b] est receptus.

Romæ interea tanto semper in dedecore ars tota jacuit, ut *solum eam Græcarum artium*, magno licet fructu proposito, *Romani gravitate suâ indignam* [c] judicarent ; *paucissimique illi Quiritium*, qui quæstu vix tandem allekti, eam non nisi fero attigerint, tanquam *ad Græcos transfugæ* habebantur. Apud illos bellicæ virtutis laus & splendor primum semper locum obtinuisse, primamque ad gloriam commendationem præbuisse videtur ; qui vero in toga potius, foroque versari, & pacatiora sequi studia maluerunt, *alii*, ut ait Cicero [d], *se ad Philosophiam* ; *alii ad jus Civile*, *alii ad eloquentiam applicuerunt*. Hisce se Artibus ingenuus quisque exercuit ; hisce solis viam sibi ad opes, famam, honores patefecit : quem vero unquam Romanorum ad Medicinam sese applicuisse, quemve Civem ex eo studio laudem & gloriam

[a] Plin. Hist. Nat. l. 25. it. 26. 3.

[b] Cic. de Orat. l. 1. 14.

[c] Plin lib. 29. 1.

[d] De Offic. l. 1. 32.

reportasse legimus? quod tamen *ordini, cui convenit* (servis utique & libertis) *honestum esse, Cicero ipse agnoscit* [a]. Neque mirum sane, veteres illos, qui liberalium Artium tractationem ad servos minimè pertinere arbitrabantur [b], atque ab iis profus studiis, quibus ipsi dare operam solebant, servos legibus arcebant [c], Medendi Artem a servis omnino occupatam, atque administratam, tanquam *illiberalem ac sordidam* rejecisse.

Haud tamen negandum est, quin cum servulis hisce Medicinam exercentibus, alii quoque sese conjunxerint *Græculi esurientes*, qui quæstus causâ e Græcia Romam effluerint, liberæ fortasse, sed humilis certe atque abjectæ conditionis; quippe gens illa omnis tanto Romæ in contemptu habita est, ut nomen ipsum *Græcus* [d], tanquam contumeliosum quiddam & opprobrii plenum, jactitare plebs atque in ore habere solebat: Hos vero omnes J. Cæsar [e], ut *Urbi bellis Civilibus exhaustæ frequentiam pristinam redderet, Civitate donavit*. Atque hæc prima Medicis ad honores janua patefacta; hoc primum iis dignitatis fundamentum jactum vide-

[a] Ibid. 42.

[b] Ὅου χρεὶ ποτ' ἄνδρα δῆλον ὄντ' ἐλευθέρως γνώμας διώκειν. Eurip. Antiop.

[c] Servum hominem causas orare leges non sinunt. Ter. Pher.

[d] Plutarc. in vita Ciceron. p. 863.

[e] Sueton. J. Cæs. c. 42.

tur; qui apud alios deinceps Principes gratiã sæpe valentes, opibusque inde & variis immunitatibus aucti, ex fervili atque ignobili statu, ad honestum tandem; atque ex tenebris illis & obscuritate in lucem paulatim & splendorem quendam evaserunt. Artem autem ipsam, magnis licet privilegiis munitam posthac atque ornatam, vix unquam tamen, ut mihi videtur, inter liberales censei; contra vero; apud Jurisperitos a Studiis [a] liberalibus distingui semper & sejungi reperio.

Atque hæc jam, quæ de Medicis Romæ degentibus exposui, non conjecturâ modò probabilia, sed vera omnia ac certa plane esse, ex constanti Auctorum omnium fide comprobari facillè potest: Quamvis enim, ut supra dixi, per prima illa ab Urbis ortu secula, altum quasi de re tota fit silentium; ex consequentium tamen seculorum Scriptoribus plurima, nec illa quidem obscura, suppetunt testimonia, quæ sententiam meam prorsus confirmant; neque cuiquam certe dubium erit, quænam in prisca illa Urbis & Civium paupertate Medicorum fuerit conditio; cum florente jam, opibusque omnibus affluente Republica, ignobilem eam,

[a] Sed etsi Salarium alicui Decuriones decreverint; ut puta, si ob liberalem artem fuerit constitutum, vel ob Medicinam. l. 4. de Decret. ab ordin. faciend. it. exceptis, qui liberalium Studiorum Antifites, sunt, & qui medendi curâ funguntur. l. 1. Cod. de Decret. Decur.

fervilemque plane fuisse apparuerit : ad rem itaque probandam accedamus.

Pervulgata quidem est illa de *L. Domitio* Historia [a] ; quem Corfinio capto, ne in Cæsaris potestatem veniret, *Medico servo* suo imperasse legimus, ut venenum sibi daret : expertum tamen Victoris clementiam, *Medicum* statim *manumississe*, quod prudens minùs noxium temperasset. Cleanthem quendam, *Catonis Medicum & Libertum*, Domini manum obligasse [b], atque intestina moribundo reposuisse, vulnusque consuisse Plutarchus narrat : Augustus magna quadam annonæ caritate, servitiorum partem, exceptis *Medicis & Præceptoribus*, ex Urbe expulisse à Suetonio dicitur [c] : exstatque ejusdem Principis epistola, ad *Agrippinam neptem* his verbis scripta [d] : *Mitto præterea cum eo ex servis meis Medicum, quem scripsi Germanico, si vellet, retineret. Antonium etiam Musam* (quem liberum Sponius [e] ingenuumque fuisse existimat) *Medicorum fere omnium celeberrimum, Annulo aureo & Statuâ areâ publice donatum ; Augusti tamen Servum & Libertum deinde fuisse ex Dione* discimus [f]. Primus ille *Musa*

[a] Sueton. Nero, c. 2. Plut. in Vit. Cæs. 724.

[b] In vita Cat.

[c] In Aug. c. 42.

[d] Id. Calig. c. 8.

[e] Spon. Recherches curi d'Antiquité Dissert. 27.

[f] ἢν γὰρ ἀπελευθέρῃ. Dio ex Edit. H. Steph.

Balneorum usum improbasse, & frigidâ omnino ægros demersisse dicitur ; eandemque hanc valetudinis tuendæ rationem ab eo sibi præscriptam meminit Horatius [a].

Apud Jurisperitos etiam, multæ sæpe occurrunt de *Medicis*, tum *Servis*, tum *Libertis* propositæ quæstiones. *Medicus libertus quod putaret, si liberti sui Medicinam non facerent, multo plures imperantes sibi habiturum*, postulabat, ut sequerentur se, neque opus facerent. Id jus necne [b] ? ubi ex voce illa, *imperantes*, abjectæ Medicorum conditionis indicium quoddam elicere possumus ; quum *Medico imperare* à Veteribus dici solere videtur pro Medicum adhibere, seu *advocare* : Sed non opus est plura Auctorum testimonia colligere, remque fati clarum auctoritatibus onerare, quæ magna sane copia suppetunt ; extant & Marmorum antiquorum Inscriptiones bene multæ, ad hanc ipsam quæstionem pertinentes, quarum paucas modo, ad Argumentum meum plenius illustrandum, ex Grutero apponendas duxi.

[a] Epist. l. i. 15.

Nam mihi Baias

Musa supervacuas Antonius & tamen illis

Me facit invisum, gelida quum perluor unda

Per medium frigus.

[b] Lib. 26. Princip. de oper. libert.

Θ. Κ.

CHRESTE. CONSERVAE
ET. CONIVGI
CELADVS. ANTON.
DRVSI. MEDICVS
CHIRURG.
&c. 581.

Τ. ΑΙΑΙΟΣ
ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ
ΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΛΗΘΑΕΥΘΕΡΟΣ
ΙΑΤΡΟΣ
ΛΟΥΔ. ΜΑΤ.
ΧΘΙΡ.

335.

EROS
AVGVSTAE
MEDICVS 581.
SPOSIANVS.

M. RVFRIVS. M. L.
FAVSTVS. MEDICVS
I. IIII VIR AVG.
464.

EVTYCHVS. AVG. LIB. NERONIANVS. MEDI-
CVS. LVDI. MATUTINI 335.

Talibus monumentorum veterum, atque Auctorum confirmata testimoniis, constans semper de fervili apud Romanos Medicorum conditione opinio invaluit: primus eam, ut opinor, in dubium vocare conatus est H. Ca-faubonus, in Animadversionibus suis in Suetonium.

Sponius deinde, Antiquitatis quidem ipse scientiam excellens, Medicus tamen, artique suae nimium favens, opinionem hanc tanquam *vanum quoddam Robertelli commentum* irridet [a], omnemque servitutis indignitatem, a *Medicis* in *Chirurgos* atque *Ocularios* ridicule fati transferre conatur. Meadius denique noster, Sponium

[a] Spon. Recherches Curieuses d'Antiq. 27. It. Miscellanea. Erudit. Antiq. Sect. 4. p. 141.

omnino sequens, magnificentiùs tamen, & gloriofiùs omnia de Arte sua prædicat. Casaubonus enim Medicos licet non omnes, at plerofque tamen e Servorum numero, neque ullos quidem Romanos, sed Græcos plane omnes fuisse fatetur: Sponius in hoc præcipue elaborat, ut a Servis ad proximum Libertinorum ordinem mendedi artem evehat, atque uno quasi gradu altiore ponat: Meadius autem nihil omnino fervile, nec humile quidem Medicis ascribi patitur [a]; sed in libertatem omnes, ac ingenuitatem simul asserit; Chirurgos solummodo, tanquam fervile pecus, atque extremæ fortis homines, libere nobis lacerandos propinans. Sed quibus tandem Argumentis hi tanti viri ad probandum utuntur, operæ pretium erit considerare.

Casaubonus quum animadvertisset *Medicum* quendam [b] quem *J. Cæsar* a prædonibus captus, secum habuisse a *Suetonio* dicitur, *amicum Cæsaris* a *Plutarcho* [c] appellari; aliosque itidem Artem illam profitentes Principum Virorum amicitâ nonnunquam ac familiaritate usos esse; ejusmodi homines, quibus tantus honos habitus esset, *Servos* fuisse suspicari, tanquam ridiculum credituque absurdum arguit: hoc cum ille, tum post eum Sponius, argumento

[a] Mead. Oratio Harveian. p. 8.

[b] Animadvers. in Sueton. p. 8.

[c] In vita J. Cæs.

maximè utitur. Sed miror non animum attendisse Viros doctissimos, *amicorum cohortes* in plures gradus & ordines à Magnatibus segregari solere [a]; ut Lampridius de Alexandro Severo loquens, *tantæ cum moderationis fuisse scribit*, [b] ut *amicos non solum primi & secundi loci, sed etiam inferioris, ægrotantes viseret*. Neque mirum videri debet, non modo Libertinos sed & Servos etiam, in *inferiorum Ordinum amicis* interdum numerari; cum meminerimus, quam benignè quamque familiariter istius sortis homines, qui fide & ingenio præstarent, vel à Principibus Viris tractari essent soliti.

Brutus ad Ciceronem scribens [c], *Glyconem*, inquit, *Medicum Pansæ diligentissimè tibi commendo*; *audimus eum venisse in suspicionem de morte Pansæ, custodiri que ut Parricidam*; *nihil minùs credendum; est modestus homo & frugi*—*rogo te & quidem valde rogo*, &c. quis jam Medicum illum, Bruto tantopere carum & familiarem, *amicum Brutii* vocare dubitaret, qui tamen *Pansæ Cos. Servus*, aut saltem *Libertus* erat? Ciceroni autem ipsi nihil unquam *Servo suo Tirone* dulcius aut carius fuisse, epistolæ suæ ad eum missæ fati declarant: ob cuius tandem manumissionem gratias ei per li-

[a] Consuetudo ista vetus Regibus, Regesque simul tantibus populum amicorum describere: apud nos primi omnium C. Gracchus, & mox Livius Drusus instituerunt segregare turbam suam, &c. Senec. de Ben. 1. 6. 33. It. de Clem. 1. 10. It. Sueton. Tiber. c. 46.

[b] c. 20.

[c] Epist. ad Cic. 6.

teras Q. Cicero frater agens [a], *Gratissimum*, inquit, *mibi fecisti, cum eum indignum illa fortunâ, nobis Amicum, quàm Servum esse maluisti*: tanquam nihil aliud esset Manumissio, quàm è servitute in amicitiam Domini transitus: hoc autem Medicis præcipuè & Præceptoribus contingisse, ut in *Amicos faciliè transfrent* testatur Seneca; [b] quibus scilicet Artes ipsæ, quas profitentur, Dominorum gratiæ promerendæ hominibusque beneficio obligandis omnium maximè sint opportunæ. Sed quid tandem ad amorem Domini erga servum significandum gravius esse potest, quam Inscriptio publicè dicata? hujusmodi autem vetustam quandam exhibet *Turrius*, [c] Aquileiæ repertam, quam summus, uti videtur, Coloniae Magistratus *Servo suo Medico* posuisset.

P H A E B I A N O
S E R.
M E D I C O
F A B I A N U S
C O S.

Hanc *Inscriptionem*, inquit Auctor celeberrimus, *ægris oculis vidisset Sponius, qui à Servorum abjectâ conditione Medicos vindicare conatus est*. In notissimâ denique illâ de Pyrrho Rege

[a] Cic. Ep. fam ad Tiron. 6:

[b] De Ben. 1. 6. 26.

[c] Philip. a Turre Monumen. Vet. Antij. p. 361.

historiâ ; hominem illum, qui Fabricio Consuli, si de pretio conveniret, veneno Regem necare promisit, *Medicum* Plutarchus [a] ; *Animum* Gellius [b] ; *Famulum* autem *Regis* Claudianus vocat [c] : quæ tamen omnia tum inter se consentire, tum sententiam meam confirmare, ex supra dictis facilè patere arbitror.

Sponium quod attinet ; multum ille quidem sese efferre atque exultare videtur, quod Medicorum unus aut alter *Ciceronis*, *Cæsaris* vè *Amicus* esset nominatus : quod quam leve totum sit, ac futile, nihil necessè est pluribus ostendere. Ut vero diligens admodum erat Antiquitatis omnis Investigator ; in Monumentis tamen veterum perscrutandis idem ille quidem facere videtur, quod ii omnes solent, qui certis quibusdam destinatisque sententiis sese addixerint ; ea videlicet, quæ opinionibus suis præjudicatis favere quoquo modo credant, rapere undique & in partes suas torquere, alia verò omnia negligere facilè aut celare. Sed ut Argumentationis ejus vim omnem complecti facilius, & comprehendere queamus ; inscriptionum quarundam veterum, quibus præcipuè causam suam evincere, contrariamque refellere conatur, maximam partem huc quoque transferendam curavi.

[a] In vita Pyrrhi p. 396.

[b] Noct. Att. 3. 8.

[c] De Bello Gild. 271.

I.

M. L A T I N I V S
M E D I C V S
O C V L A R I V S.

II.

M. A L L I V S. P A M P H I L V S
M E I C V S.
&c.

III.

C. CALPVRNIUS. ASCLEPIADES
PRVSA. AD. OLYMPVM. MEDICVS
PARENTIBVS. ET. SIBI. ET. FRATRIB.
CIVITATES. VII. A. DIVO. TRAIANO
IMPETRAVIT. &c.

IV.

ILLVSTRIVS. TI. CAESARIS.
AVG. SER. CELADIANUS
MEDICVS. OCVLARIVS.

V.

M. F O N T E I V S
N I C A N D E R
M E D I C V S.

VI.

L. ANNIUS. CASSIVS. MITHR
ADORVVS. MEDICVS. &c.

VII.

VII.

L. ARR V N T I O
 S E M P R O N I A N O
 A S C L E P I A D I
 I M P. D O M I T I A N I
 M E D I C O. &c.

VIII.

T I. C L A V D I V S. I V L I A N V S
 M E D I C V S. C L I N I C V S. C O H. I I I.
 P R. F E C I T. V I V O S. S I B I. E T.
 T V L L I E. E P I G O N E. C O N I V G I.
 L I B E R T I S. L I B E R T A B V S Q ;
 C L A V D I I S. &c.

IX.

P. C H A R M.
 S O S T H E.
 M E D I C.
 I I I I. V I R. A V G.

Hisce pauculis Inscriptionibus, inquit Spon-
 nius, [a] destrui potest ridiculum Robortelli
 commentum; qui asseruit, Romæ tantum servos
 Medicinam exercuisse. Etiam si etenim in In-
 scriptione, Illustrius Tib. Cæsaris servus fuerit
 Medicus; observandum est, addi Ocularius; sic-
 que potius Chirurgum quàm Medicum; fuisse.

[a] Miscell. Erud. Antiq. p. 144.

At in aliis lapidibus Medici soli ingenui, aut liberti, &c. quorum ultimus vero, præterquam ingenuus fuit, sextumviratûs dignitate ornatus observatur.

De primâ autem illâ inscriptione, *literas, M. L*; quæ Latini nomen sequi debuissent, *libertinam* videlicet ejus conditionem indicantes, a Sponio detractas esse, vir doctus *Malvasia* ostendit [a]. Secundam quod attinet; Amicus meus *Iustus Fontaninus*, Romanæ Ecclesiæ Præsul, vir omni literarum genere præstantissimus, scriptisque in lucem editis meritò celeberrimus, in libro suo de Antiquitatibus Hortæ (quem inter alia plurima amicitiae & benevolentiae suæ pignora ab eo Romæ dono accepi) diverso planè modo eam nobis exhibet; videlicet, *MALLIVS PAM. &c.* Nulla interpunctionis notulâ ad prænomen distinguendum adhibita: atque ex eo Pamphilum illum è *servorum grege* fuisse, necdum libertate donatum contendit; propterea quod prænomine, quo cives omnes utebantur, careret: [b] Sponiumque deinde levitè reprehendit, quod ultra quam par sit, *Robortelli* opinionem irrideat.

De *Asclepiade* autem Medico proximè memorato, quam puerilia & inepta omnia protulit Sponius? [c] Qui inscriptionem ipsam in Galli-

[a] Marmora Felfin, Sect. 5. c. 1.

[b] Cap. 9. p. 166.

[c] Differ. 27. p. 431.

cum sermonem vertens, *septem Urbium Dominium & Principatum* ab Imperatore Trajano eum obtinuisse asserit : Neque Meadius deinde hunc tantum virum, seu Principem potius, *totque Civitatum donationem*, in Artis suæ gloriam commemorare omisit. [a] Sed quid tandem, si Diis placet, hæc tam magna sibi velint ? Reinesius enim, Auctor quidem ille gravis, Medicusque celebris, (unde ipsam etiam inscriptionem transtulerat Sponius) nihil aliud *Asclepiadem* huncce fuisse dicit, [b] quàm *servum è Calpurnia Familiâ* manumissum, qui Trajani favore *Civis privilegia & immunitatem*, non solum Romæ, sed in sex aliis Græciæ & Asiæ Civitatibus sibi, suisque impetraverat : Nec quicquam sane amplius inscriptionis ipsius verbis significari certissimum est ; quippe *septem Urbium Dominatus* ab optimo & prudentissimo Principe *Mædico Græculo* donatus, non solum incredibile quiddam videtur, sed à scriptoribus omnibus silentio præteriri nullo modo poterat.

Cæteros autem Medicos in reliquis illis lapidibus nominatos, quis unquam sanus ingenuos, ut ille, atque ex familiis quarum nomina præ se ferunt, oriundos credere potest ? quidni potius servos omnes fuisse existinemus, qui manumissi postea, *Dominorum sibi nomina, & prænomina* pro more assumerant ?

[a] Orat. Harv. p. 9.

[b] Syntag. Inscript. Antiq. Class. II. 4.

Verterat hunc Dominus momento turbinus, exit Marcus, Dama, &c.—Perf. Sat. 5. 78.

Hoc sanè de *Claudio illo Juliano* quam maxime est probabile : non tam propter conjugem Græcam *Epigonem*, quam quod *Claudiae familiae*, è quâ ipse manumissus esset, *libertis, libertabusque* commune Sepulchrum posuisse videtur. Sin quod minùs est verisimile, liberos eos esse concedamus ; Romani tamen esse non poterant ; sed ex Græculis istis, qui ab Imperatoribus Civitate donati, Magnorumque in clientelam recepti, Romana deinceps nomina usurparunt ; retento tamen plerumque etque adjecto veteri Græco : Quales procul dubio (si non servi potius sint existimandi) *Cassianus, Fonteium, Arruntium* fuisse ex ipsis inscriptionibus satis apparet.

Sextum viratum denique *Augustalem* quod attinet ; quem Medicus ille *Charmes* in inscriptione gessisse dicitur : errat planè Vir Eruditus, quod non nisi ad *Ingenuos Nobilesque* deferri eum existimaverit ; [a] quum & Libertinis præcipuè, seu semper potius delatum fuisse multæ aliæ inscriptiones declarant : quarum quidem una ipsam pecuniæ summam memorat, quam *Medicus Servus* pro libertate ; quamque *libertus* deinde pro *Seviratu* in Rempublicam dedisset [b].

P. D E-

[a] Differt. 27. p. 435.

[b] Seviratus hicce Augustalis, quale tandem Munus fuerit,

P. DECIMVS. P. L. EROS.

MERVLA. MEDICVS.

CLINICVS CHIRVRGVS

OCVLARIVS. VI. VIR.

HIC. PRO. LIBERTATE. DEDIT. H. S. I.,,

HIC. PRO. SEVIRATV. IN. REMP.

DEDIT. H. S. ∞, ∞.

Hier. Mercurial. Var. Lett. l. 3.

Sponius autem, dum Medicorum veterum conditionem liberam ac ingenuam probare studet, evertit planè, ut mihi videtur, quod tanto opere astruere laborat, cum è *Libertinorum* tandem familiâ maximam eorum partem exiisse fa-

uerit, five Sacerdotium, five magistratus quidam in municipiis, haud inter Eruditos constat; ex Tacito [Ann. 1. 54. 1.] & Suetonio [Claud. c. 6.] discimus, post mortem Augusti Sacerdotium quoddam in honorem Julix Gentis a Tiberio esse institutum; in quod forte deligebantur Primores Civitatis, unus & viginti, *Sodalium Augustalium* nomine, qui sacris, ludisque in Cæsarum defunctorum honorem constitutis præfuerunt; quibus postea extra ordinem adjecti Tiberius, Drusus, Claudius, Germanicus. Hujus Sodalitatis ad similitudinem, rebusque ut opinor, iisdem procurandis, *Seviratus Augustalis* in Coloniais & Municipiis creatus videtur: Ordo quidem inter Decuriones & plebem medius; ut ex Veteribus marmoribus patet. Honorem ipsum pecuniâ plerumque emptum; nonnunquam tamen à Decurionibus ob merita gratuito datum; nec tamen perpetuum fuisse, sed quinquennale & repetitum interdum ex Inscriptionibus antiquis colligitur.

teri cogatur : quid enim tantum interest, *Servinè* Medendi Artem exercuerint an *Liberti* ? quum hos etiam in servitute illam cum didicisse, tum exercuisse necesse sit : *Servos* autem *frugi & diligentes* (atque ut ex supra dictis conjicere licet, omnium maxime Medicos) haud *quinquennio diutius servire*, sed in libertatem deinde emitti solere, ex *Cicerone* colligere possumus : [a] atque hinc *Medicorum Libertorum*, quorum nomina toties occurrunt, tantus numerus effluxit : qui quidem etsi *liberi* dici possint, (quum tamen non omnes fortasse justâ libertate fruebantur) at *Ingenui* certè nunquam existimabantur : contra verò ; *Libertinos* atque *Ingenuos*, tanquam contrariæ fortis homines, sibi invicem oppositos semper ab Auctoribus invenimus, *Hominibus*, inquit Seneca, [b] *prodesse Natura jubet, Servi, Liberive sint ; Ingenui an Libertini*. Narratque Suetonius, [c] *Augustum neminem unquam Libertinorum cœnæ adhibuisse*, excepto Mena, (S. Pompeii Liberto) *sed asserto prius in Ingenuitatem*.

Sed ad Meadium tandem nostrum veniamus, qui in hac quæstione tractandâ, [d] in id unum totus incumbit, ut inustam *Medicis* servitutis infamiam in *Chirurgos* penitus removeat ; *Illos* Romæ semper splendidos, honoribusque auctos ;

[a] Orat. Philip. 8. 11.

[b] De Vita Beat. c. 24.

[c] Aug. c. 74.

[d] Orat. Harv. p. 8."

*Hos tantummodò ignobiles, abjectos, serviles esse contendens: Utrique autem cum Medici à Veteribus appellabantur, inde errorem hunc omnem nasci innuit, quod quos eodem nomine appellatos Viri docti observassent, eâdem etiam vitæ conditione usos crederent. Sed parum ei feliciter in re probandâ successit: ex omnibus enim, quos enumerat Medicis, duos tantùm profert, de quorum conditione certi aliquid ac indubitati memoriæ proditur; *Arcagathum* scilicet, & *Antonium Musam*: quorum ille quidem liber & Civitate donatus, sed *Chirurgus* certè, seu ut *Plinius*, eum vocat, [a] *Medicus Vulnerarius*; Hic autem, *Medicus* planè summus, summisque honoribus ornatus, *Augusti* tamen ut supra dixi, *Servus* & *Libertus* fuit: de reliquis illis, quorum *Romana* quidem nomina adducit, *Cassii*, *Calpetanis*, *Arruntii*, &c. quid constituendum sit, ex supra memoratis facilè judicabimus: quos si Cives ipse, ingenuosque omnes fuisse, cum Sponio credere potest; haud tamen aliis persuadere credat; *Nobiles* unquam *Romanos* Artem illam exercuisse, quam vel *infimus* quisque *gravitate suâ indignam* arbitrabatur; quamque *nullus omnino Quiritium*, nisi ferò aëmodum, nec ut *Clericus ipse* fatetur, ante *Cæsarum* ætatem unquam attigit.*

Observat autem Vir Celeberrimus, in Nummo quodam *Rubriæ Familiæ*, *Anguem Deæ*

[a] Hist. Nat. l. 29. 1.

Salutis Symbolum conspici, quem ad florentem tunc in ea familia Medicinæ laudem referri omnino oportere censet [a] : miraturque Patinum & Vaillant, Medicos quidem ambos, in Nummis Familiarum Romanarum explicandis, *rem Arti suæ tam honorificam* prætermisisse : at in aliis etiam Nummis Consularibus, quos ipse quoque exhibet [b], Uno scilicet *Junie*, altero *Aciliae Familie*, ipsa *Deæ Salutis* imago expressa cernitur : num Medici propterea familiarum istarum Principes ; nihil sane minus credendum. Sed *Juniorum* nummus, ob Templi *Deæ Saluti* ædificati memoriam, percussus existimatur, quod *Junius Bubulcus* ex voto, quod Consul fecerat, Dictator dedicavit A. U. 451. [c] Alterque iste *Acilianus*, munus aliquod, vel magistratum, ad valetudinem populi contra pestem, morbumvè quendam contagiosum tuendam institutum, gestumque feliciter denotat, uti ex ipsa inscriptione Viri docti judicant. MV. ACILIVS. III. VIR. VALETIV. Quidni igitur cum Patino, *Rubriorum* etiam Nummum illum (quo *Æsculapii* in Urbem advectio denotari

[a] Orat. p. 11.

[b] Ibid. p. 31. Afferit. [p. 49.] inter alias Romanorum familias, Rubriam Medicinæ laude floruisse ; Pliniumque testem adducit : qui tamen nec de Rubria, nec de aliis istis familiis ne verbum profert ; sed inter Medicos tantummodo celeberrimos memorat Cassios, Carpitanos, Arruntios, Albutios, Rubrios — quos Servos potius, quam Familiarum Principes fuisse, ut modo dixi, haud dubitandum est.

[c] T. Liv. l. 10. 1.

atque exprimi videtur) ad operam aliquam singularem ea occasione Reipublicæ præstitam, seu ad sumptus Templo ejus ædificando, vel ornando postea ab ea familia præbitos, referendum arbitremur? Sed ut privatos hosce Cives omitamus; in Imperatorum sæpissime nummis eadem illa cernitur *Salutis* effigies; significans videlicet, salutem a Principe vel Imperio publicè, vel certis quibusdam Civibus præcipuè datam [a]; seu vota & sacrificia pro conservatione, & valetudine Imperatoris à populo, vel Civitate aliqua facta. Ex talibus autem nummis, si Imperatores ipsos medicinam exercuisse putaremus, haud magis absurdum esset, quam si Nobiles illos *Junios, Acilios, Rubrios*, Consulium adhuc ætate, Artem illam professos crederemus; quæ illis certe temporibus dedecus potius & infamiam, quam laudem, gloriamve nummis percutiendis celebrari dignam attulisset.

[a] Cum conjuratio quædam (cujus Princeps Cn. Cornelius, Pompeii magni ex filia nepos) contra Augustum esset detecta, Liviæ Augustæ consilio atque intercessione non veniam modo Conjuratores, sed honores & Magistratus ab Imperatore consecutos esse, tradit Dio: [Cæs. Aug. l. 55. p. 85.] In cujus rei memoriam Nummum illum percussum esse, verisimile est, in cujus averfa parte, Liviæ facies conspicitur, hac inscriptione; SAL. AVG. Vid. Agostin. Dial. 2 Tab. 45. Statuam etiam illam, quæ Romæ adhuc cernitur, Liviæque Augustæ faciem, sub Deæ Salutis imagine exhibet, ob eandem causam, atque eodem tempore fingi credibile est. Vid. Raccolt. di Statue di Roma.—

Dum

Dum autem a Medicis contumeliam propul-
 fare conatur, caveat tandem vir dignissimus, ne
 in alios ipse quidem contumeliosus reperiatur ;
 Chirurgos velim, viros sane honestos, & Rei-
 publicæ utiles ; quosque a reliquis Medicis, nec
 nomine, nec conditione antiquitus unquam di-
 stingui, aut segregari reperio : Nisi fortasse cre-
 dendum potius sit, Chirurgicam Medicinæ par-
 tem, cum antiquiorem, tum majori etiam apud
 veteres honore fuisse habitam. Ipse quidem
Æsculapius non aliam ob causam in Deorum nū-
 merum relatus dicitur, quàm quod *Specillum*
 (Chirurgorum quoddam instrumentum) *invene-*
rit, primusque vulnera obligare docuerit [a] :
 ejusque itidem Filios, ad Homero tantopere ce-
 lebratos, *Podalirium & Machaonem*, non ad
 pestem morbosve medendos, sed ad vulnera so-
 lum curanda adhiberi cernimus : *Ex quo apparet,*
inquit Celsus [b], *has partes Medicinæ solas ab*
his esse tentatas, easque esse vetustissimas. Ars-
 que ipsa Chirurgorum adeo propria ab Antiquis
 existimabatur, ut nomen inde, a telis scilicet
 eximendis, apud Græcos eam duxisse *Sextus*
Empiricus Auctor est [c] : Ἰατρικὴ εἶρηται τὸ πα-
 λαιὸν ἀπὸ τῆς τῶν ἰῶν ἐξαιρέσεως. Quam qui-
 dem nominis definitionem ab Homero plane
 sumfisse videtur:

[a] Cic. de Nat. Deor. I. 3.

[b] Præf. lib. de re Med.

[c] Adv. Mathem. I. i. c. 2.

Ἰηθρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀνιάξιος ἄλλων
 ἰέσ τ' ἐκλαμνεῖν, &c.——Iliad. λ. 514.

Hier. Mercurialis, Medicus quidem ipse doctissimus, omnes priscos Medicos Chirurgos fuisse agnoscit; atque ad Galeni usque tempora Medicamenta sibi ipsis parasse: Uti *Compertum habent*, inquit [a], *qui in Auctoribus antiquioribus*, atque Hippocrate præcipue sunt versati.

Apud veteres certe Romanos, communi Medicorum nomine cum utrosque appellari, tum utrasque simul Medicinæ partes ab eodem semper exerceri certissimum est. *Arcagathus* ille, qui omnium primus Medicinæ profitendæ causa e Græcia Romam, Anno Urbis 535, venisse dicitur [b], *Chirurgus*, ut ante dixi, fuit, tabernamque ad operam locandam publice datam habuit. *Plautus* etiam, qui eodem tempore, seu posteriùs aliquanto floruit, de *Medicis* quoties loquitur, haud alios ac *Chirurgos* esse confirmat.

*Lumbi sedendo, oculi spectando dolent,
 Manendo Medicum, dum se ex opere recipiat;
 Odiosus tamen vix ab ægrotis venit;
 Ait se obligasse crus fractum Æsculapio,
 Apollini autem brachium, &c.—Menæc. 5. 3.*

[a] Var. lect. 1. 1. c. 13.

[b] Plin. Hist. Nat. 1. 29. 1.

C. Marium crura tumoribus quibusdam deformata Medico secanda obtulisse legimus [a]; & secandi acerbitatem sine ullo doloris indicio pertulisse. Cicero de Milite Veterano ac Exercitato loquens [b], ob vulnera fortiorem eum fieri dicit, nec requirere aliud, quàm *Medicum, a quo obligetur. Catonis Medicum illum supra memoratum Chirurghi* proprio munere fungentem vidimus. Gladiatorum denique *Ludi singuli*, ut ex Inscriptionibus plurimis apparet, singulos sibi Medicos habuerunt, in utrumque certe, tum *valetudinem tuendam*, tum *vulnera medenda*, paratos æque ac instructos.

Imperatorum autem postea temporibus, cum Civium simul & Medicorum multitudo in imensum quasi excrevisset; atque in Urbe opibus omnibus abundante, vel *quælibet Medicinæ pars* vestigal, quæstumque fatis amplum profitentibus conficere valeret; tum primùm in partes varias secari quasi, & dividi Medendi Ars; tum singulæ deinceps a singulis tractari & administrari; tum vel minima quæque corporis pars, certusve quilibet dolor *Medicos sibi proprios, & unice addictos* habere cœpit [c]: atque

[a] Plut. in C. Mar. [b] Tusc. Quæst. l. 2. 38.

[c] Medicos fortasse quis excipiet, etiam eos, qui alicujus partis corporis, vel certi doloris sanitatem pollicentur: ut puta, si Auricularius, si Fistulæ, vel dentium, &c. l. 1. §. 3. Dig. de var. & extruor. cognition.

hinc denique *Clinicorum, Chirurgorum, Oculariorum, Auriculariorum, &c.* nomina effluxere: quæ tamen omnia uni interdum, eidemque adhuc competere, ex Inscriptione supra allata, atque aliis multis liquet.

Postremis temporibus, inquit Menagius [a], *partem illam Medicinæ, quæ manu medetur, ab aliis homines sejunxerunt: quando factum hoc dissidium, dixerit alius, non ego; certe post Antoninos.* Scio autem Celsum, prout a Clerico citatur [b], multis antea annis factam hanc Medicinæ partitionem indicare videri: dubitat autem vir eruditus, an Celsus de ea, tanquam facta jam, & in usum perducta; an de re solum utili, quamque instituendam exoptarat, esset locutus; cum Celsi ipsius ætate, antiquum adhuc morem obtinuisse, omnesque simul Medicinæ partes ab uno eodemque tractatas sæpe esse appareat.

Quicquid vero de hac re statuamus; hoc unum certissimum est, *Medicos, & Chirugos* pari semper conditione & dignitate apud veteres Romanos extitisse; viderintque tandem ii, qui constantem doctorum fere omnium opinionem, tanquam *ridiculum commentum, in opprobrium artis prolatum*, infectantur; quam temere ipsi, nullo Antiquitatis Monumento, nullo Auctore

[a] Amœnitat. Jur. Civ. c. 35. p. 227.

[b] Hist. de la Medicine, l. 1. pt. 2. c. 9.

DE MEDICORUM APUD VETERES ROMANOS
 muniti, in alios, immerentes illos quidem & indignos, mera opprobria jaciant.

Meadius autem, ne, si nihil omnino de ignobili Medicorum veterum statu fateretur, obstinatum nimis & pervicacem sese ostenderet; concedere tandem aliquid videtur, sed tanta verborum obscuritate involutum & quasi vi extortum, ut sensum inde vix ullum quidem, nedum clarum & distinctum elicere facile valeamus: ejusque ideo verba integra huc apposui, ut solertior aliquis ea mihi expedienda suscipiat.

Nilil igitur servile, inquit ille [a], aut tenue quidem, Artem nostram adhuc dedecorat. Sed ut plane & sine fuco totam rem dicam, simul cum ingenuis multis, & doctis viris, non pauci scientiæ & fortunæ bonis inferiores, illis temporibus Romam veniebant; qui etsi non Medicamentis, sed manu curarent, Medici tamen appellabantur. Hi in divitum & Magnatum clientelam se conferebant, & Servi agebant, donec Civitatem consequerentur, inde Liberti, nomen alicujus Familiæ Romanæ sibi adsciscere solebant: neque raro, si ingenium studio literarum excoluissent, morbis etiam internis medebantur, & in Medicorum Clinicorum censum veniebant. Tali conditione fuit Antonius Musa, &c.

[a] Orat. p. 9.

Hæc ille ; sed ut mihi quidem videtur, cum verbis tum sententiis sibi ipsi plane repugnans : ut enim alia omittam ; ego sane haud intelligo, quemadmodum ii, qui e Græcia *sponte* quidem venissent, atque in Divitum clientelam sese contulissent, *Servos* deinde *Romæ agere*, iidemque *Magnatum Clientes & Servi* simul esse possent ? Hujusmodi autem omnia, (sive errata, seu minus tantum accurata vocemus) & longe quidem majora, tali certe viro facile sunt ignoscenda : cui tantis rebus occupato, otium ad hujusmodi nugas exquirendas nullo modo suppetit ; cujusque assiduis occupationibus quantum unquam moræ interponatur, tantum sane de publicis commodis detrahitur.

Clericus autem ille, quem supra nominavi, in libro illo, quo Medendi Artis historiam diligenter & erudite contexuit, hanc omnem quæstionem copiose tractat [a] ; & quamvis Medicus, non dubitat tamen, quæ in utramque partem dici solent, in medium proferre, aliis judicium relinquens : in hoc tantum errare visus ; quod Sponii Autoritatem sequens, Medicos illos *Arruntium, Calpetanum, Rubrium, &c.* quos *Romanorum primos* Medicinam attigisse dicit, ex *amplissimis Civium familiis* ad eam illico accessisse credat : quasi autem illam, quæ Ro-

[a] Lib. 1. p. 3. c. 2.

mani Civis existimationi nocere plane existimabatur, *Nobiles* statim exercuisse, omnino esset credibile: idque *Augusti*, *Tiberiive* ætate, cum vel multis post annis Medici, ut supra dixi, in *humillimis mortalium* a *Seneca* adhuc numerantur.

Sed de hac omni disceptatione hæctenus: nec quemquam jam existimare velim, me horum aliquid disputasse, ut Medendi arti, honestæ ei quidem atque imprimis utili, invidiam, aliquam conflarem, dedecusve inurerem: Nihil minus mihi in animo erat; quippe haud alius quisquam Medicorum plures, amicitiam sibi & consuetudine omni conjunctos habet, aut habere magis cupit: quorum plerosque cognovi semper, tum Viros bonos, tum in omni fere doctrinæ genere excellentes. Nec ipsam sane quaestionem ad veram artis gloriam, laudemque pertinere omnino arbitror: etenim hoc sibi Medicina nullo modo præcipuum, sed cum aliis plerisque artibus commune habet; quod Romæ tardius olim recepta, neglecta & contempta fuerit [a]: neque *Medici* magis vituperandi, quod a prisca illis *Quiritibus* nullo loco habiti essent, quam *Poetæ*; quorum familiaritatem & consuetudinem M. Cato Senatori cuidam, tan-

[a] Serò a nostris *Poetæ* vel cogniti, vel recepti.—
Philosophia jacuit usque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen Latinarum literarum. Cic. Tusc. quæst. 1.

quam probrum aliquod objecisse fertur [b]: tota hæc disputatio in Historica quadam disquisitione unice versatur; quæ etsi omnibus sane levicula; nonnullis tamen, uti spero, nec injucunda, nec homine in literis otiante indigna prorsus videbitur; qui tamen & his fortasse graviora, uti alias fecerit, ita in posterum etiam sit aliquando in lucem editurus.

[b] Ibid.—

DISSERTATIONIS

DE

Medicorum Romæ Degentium

CONDITIONE IGNOBILI & SERVILI,

CONTRA

ANONYMOS QUOSDAM


Notarum Brevium, Responſionis, atque Animadverſionis

AUTORES,

DEFENSIO.

Qui admonent amicè docendi ſunt, qui inimicè infeſtantur repellendi.
Cic. de Nat. Deor. l. 1.

DIS-



DISSERTATIONIS

DE

MEDICORUM ROMÆ DEGENTIUM

Conditione Ignobili & Servili

DEFENSIO, &c.

CUM de *Medicorum Romæ olim degentium* conditione Dissertationem meam in publicum edere statuissem, nullius mihi vel animum vel existimationem lædere propositum erat; sed cum eruditis quibuscunque atque antiquarum præsertim rerum studiosis, gratiam me potius initurum putaram, si quæstionem in Antiquitatis cognitione versatam, atque à viris doctis, etsi levitè solummodo, at sæpius tamen, varièque agitatam, penitè ipsè perscrutandam, fusiùsque explicandam, arriperem: quippe ego, qui nisi laceffitus, atque injuriæ propulsandæ causa, neminem mihi unquam laceffendum duxerim, haud tam temerarius fuisset ut *Florentissimi Medicorum Ordinis* inimicitias, hac meâ præsertim minùs firmâ valetudine, ultro mihi subeundas putarem.

Sed ut dicam planè quod sentiam; ego nec intelligere unquam potui, neque adhuc sanè cau-

causam videre queo, cur hæc nostra disputatio *Medicis* omnino *Stomachum* moveret; cur vè offensos inde aut indignè sese tractatos judicarent. Etenim quid si *Prisci illi Romani* de Arte ista minùs quidem, quàm oportuit, honorificè censuerint; num ad horum temporum Medicos hoc ullo modo pertinere existimabitur? Si homines, inquam, illi artium bonarum rudes, literarumque expertes, *Medicinam*, juxta ac reliquas artes contempserint, nec Civibus quidem suis colendam judicaverint; num hoc apud *Viros graves* de verâ artis laude detrahere aliquid aut imminuere poterit? Numvè mirandum est, in quâ Urbe per tot secula nec luxus, nec pecunia ferè reperiebatur, quorum alterum *Morbos*, alterum *Medicos* alit, in ea Urbe, *medendi artem* jacuisse, atque ab *Ingeniis liberisque hominibus*, quibus vitam pro suo cujusque arbitrio instituendi facultas esset, omnino rejectam ac contemptam esse?

Apud *Turcas* hodie, si peregrinantibus habenda fides, hæc eadem Ars nullo ferè loco haberi, sed à *Servis, Obstetricibus, Graculis, Judæisque* administrari dicitur: quis tamen hoc *Medicinæ ipsi* infamiam ullam, dedecusvè afferre arbitratur? quisve non Nationis ejus inscitiam potius & barbariem irridet, quæ Artem tam utilem, tamque necessariam non pluris æstimet; nec præmiis honoribusque propositis homines suos ad eam excolendam excitet?

Vide:

Videram autem, fateor, nonnullos, viros eos quidem graves atque eruditos, vel gloriolâ quâdam elatos, vel artis suæ caritate nimis fastidiosâ incensos, hanc omnem disputationem impatienter fatis, nec nisi ægro planè animo tulisse; atque in eâ refutandâ, perinde ac opprobrio aliquo à Medicis repellendo, tam vehementer elaborasse, ut sese vix à contumeliis abstinerent; nec contrariæ sententiæ fautores haud aliter ac malevolos atque invidos insectari dubitarent. Horum ego intemperantiam etsi aliquantulum reprimendam esse censui, ita tamen reprimendam, ut maledicentia sanè omnis, sermonisque asperitas à nostrâ prorsus disceptatione abessent; atque ut Viros liberaliter educatos decet, non animorum contentione, sed opinionum solummodò, dissensione ad veri investigationem accederemus: quod quidem in illa *mea Dissertatione* me tam religiosè præstitisse arbitror, ut ne verbum ibi unum aut contumeliosè aut asperè nimis dictum inveniri posse confidam.

Dissertationem autem ipsam quod attinet; ea sane non nisi casu quodam, atque illo fere, quo rem exposui, modo, tum primùm inchoata, tum perfecta postea ac in lucem emissa est: nec vereor profecto, ne quis idem mihi illud objiciat, quod *Oppugnatores quidem meos* objecisse video; tanquam causæ *a me prorsus alienæ memet ipse immiscuissim* [a]. Quicquid enim literis man-

[a] Resp. p. 4.

detur,

mandetur, id omnium plane lectioni & iudicio propositum semper iudicavi, & si quid potissimum *in re literaria* ab hominibus curiosis in controversia agitatum, atque in medium semel projectum esset, id sane ab homine quovis otioso & literis dedito minime alienum esse putavi. Sin autem, quod magis suspicio, quodque fieri plane perspicio, id mihi potius crimini vertatur, quod clarissimi *Meadii* sententiam mihi impugnandam susceperim [b]; id quidem etsi haud parvo meo periculo factum fateor, quod a tanto Viro dissentire ausus essem: attamen ni petulanter aut iracunde id fecisse arguerer, cum culpa omnino ulla junctum esse nego; nisi omnes simul omnium temporum eruditos eodem crimine condemnemus, qui inter se discrepare ac contra disputare, quotiescunque res postularet, nunquam dubitaverint; nec nisi ejusmodi contentionibus *verum* unquam investigari, literarumve studia vigere omnino, aut radices agere posse existimaverint [b].

Istud autem meum opusculum haud citius in publicum prodiit, quam ad me statim perlatum est, responsi mihi aliquid parari, nonnullosque ingenio & doctrina præstantes, qui contra me scriberent, meamque sententiam refellerent, a *Medicis quibusdam* delectos jam & designatos esse: quo quidem nuntio tantum abfuit,

[a] Ib. p. 201. It. Animad. br. p. 42.

[b] Cic. Tusc. qu. 2. 2.

ut molestiæ mihi aliquid crearetur, ut gaudio potius tacito ac voluptate memet inde affectum senserim. Quippe illud, cum omnibus veri tandem investigandi, tum mihi præsertim, haud multum occupato, honestam quandam otii conterendi occasionem præbiturum esse putavi: nam mecum ipse ab initio plane statueram, aut sententiam meam, a quocunque impugnata fuerit, defendere ac confirmare, aut si ob rationum contra adductarum vim id mihi minus liceret, manus ultro dare, meque victum plane ac deceptum libere & publice confiteri.

Hac igitur expectatione dum plenus, erectusque stabam; prodire tandem contra *Dissertationem meam Notæ quædam breves*, ab Anonymo quodam conscriptæ; leves illæ quidem & futiles, nec dignæ sane, quæ alio modo a me tractarentur, ac quo ab omnibus eas tractari intellexi, contemptu scilicet & neglectu. Sensi enim illico, illas non istud esse majorum lubricationum opus, quo sententiam meam refutantem atque evertendam nonnulli jactitarant; vidi plane tam debilem impetum tanti belli famæ haud quaquam respondere; nec *Notulas istas* aliud esse reputavi, ac *Velites* quosdam, levisve armaturæ milites, in me ante emissos, ut me vexarent aliquantulum atque occupatum tenerent, quoad legiones, quæ armorum pondere lentius progredi cogerentur, ad pugnam adessent.

Nec

Nec me profecto animus fefellit ; quippe sub *Responsionis titulo* in lucem tandem venit, etsi longo satis intervallo, diu meditatam opus, vel ipso aspectu & magnitudine terribile : utpote *Dissertatiunculam istam meam* vel decies circiter paginarum numero exuperans : quasi auctor noster, quod alios nonnunquam factitasse accepimus, ipsa libri sui mole & pondere controversiam penitus omnem delere atque obruere cogitasset. Libro autem ipso in manus statim arrepto, atque avide satis perlecto, haud dici facile potest, quàm mira illicò expectationis meæ omnis frustratio consecuta est : nam vix tantæ molis librum me antea unquam vidissè memini, in quo tam pauca aut observatu digna aut lectu jucunda invenissè : de me vero omnia non nisi acerbe ac malevole dicta animadverti ; & quasi non de re *prorsus levicula*, sed de *Religionis ipsius veritate* certamen institutum esset ; singula fere minutatim agitata, exaggerata, atque a meo sæpe sensu detorta vidi : ut Auctor non tam ad causam aliquam defendendam, quàm ad me accusandum *Orator* adhibitus videretur : quamvis enim nomen ille suum celavisset, sensu tamen hominem e *Rhetorum turba* conductum esse oportere ; cui scilicet generi concessum novimus, omnia *tragicè ornare, augere, ementiri* [a] : is mihi solùm scrupulus restabat, quòd in ejus quidem sermone nihil planè, quod *Rhetorem*

[a] Cic de Clar. Orat.

cleret, nihil venustatis, nihil ornatûs, sed inculta potius omnia nec fatis Latina invenirem.

Hujusmodi itaque Scriptorem haud magis quam alterum illum (cui neutiquam fanè eum anteferendum censeo) cogitatione ulla mea, aut animadversione dignum judicarem; ni hunc potissimum hominem a *Clarissimo Meadio* ad hoc *Respondendi munus* delectum; librumque ipsum *ejusdem cura & sumptibus* in lucem emissum; amicisque suis *manu propria inscriptum & dono a Meadio ipso missum* intellexissem. Quibus non dubie ad me perlatis, non nihil ipse commotus, veritusque ne, præ nimia quadam mei ipsius caritate, haud fatis rectè de Adversarii mei meritis statuissim, librum ejus relegi; in quo quidem etsi quæstionem ipsam quod attinet, nihil ferè, ut ante dixi, quod refutatione dignum videretur, inveni; cum tamen memet ubique perindè ac in *Notis istis brevibus*, tanquam *Calumniatorem [a]*, *Criminatorem*, *Malevolum* tractatum videram; idque *tanti viri* iudicio comprobatum, ejusque jussu ac opera in publicum evulgatum; illud demum mihi ipsi & existimationi meæ deberi arbitrabar, ut opprobria tam indigna refellerem; ostenderemque ejusmodi convitia non eos unquam attingere posse, qui nominis & famæ reverentia, tanquam pignoribus datis, adstricti, ad controversias literarias descendunt; sed *conducti-*

[a] Resp. p. 86, 134, &c.

Dissertationis de Medicorum Romæ Degentiam
tiis solummodo scriptoribus istis convenire, qui
 existimationis nullum prorsus aut periculum su-
 bire, aut jacturam facere possunt, sed tenebris
 atque obscuritate tecti in quosvis sibi designatos,
 quasi ex insidiis impetum faciunt, & quamlibet
 causam defendendam, quemlibet hominem la-
 cerandum mercede pactâ fuscipiunt.

Hæc dum mecum ipse meditabar; tertius
 quidam in publicum prodiit sub *Animadversio-
 nis brevis*, titulo contra me conscriptus libellus;
 quem quidem intellexi subito, tum stilo, tum
 Materia consimili ex eodem illo *Notularum Auc-
 tore* profluxisse: quippe nihil fere aliud fecisse
Animadversor videtur, ac eadem omnia reco-
 quere, quæ antea disputarat, sed nova quadam
 luce donata, novo ordine disposita, atque ut
 ei videtur, jocos quibusdam & salibus condi-
 tiora. Ego vero, quoniam scribendo plane
 inexpertus homo videtur, hoc ei consilium dare
 velim, ut sese posthac a facetiis absteineat; hoc,
 mihi crede, non illi a Natura datum; quam
 in re omni ducem sequi oportet: & si ex arte
 sua victum, laudemve quærere studeat, non in-
 genii viribus, sed industria penitus & labore
 rem ei conficiendam video.

In hac vero, quam nunc aggredimur, certa-
 tione, propter *Clarissimi Meadii* nomen atque
 auctoritatem a me, ut modo dixi, suscepta,
 ne, si alteri responderem, alterum vero, nec
 illum magis quidem indignum, negligerem,
 injustus

injuſtus cuiquam viderer ; ſtatuſi ſane omnibus ſimul, una ſere eademque opera reſpondere. Primùm igitur, ut ratione & via quadam procedamus, *Notas iſtas breves*, quia primæ illæ quidem prodierunt, haud alio plane, ac quo occurrunt, ordine, conſiderare viſum eſt ; atque eodem tempore, ſi quæ vel ejuſdem vel conſimilis argumenti in *Reſponſionis Auſtore* animadvertero, ea ſimul omnia in unum conferam, atque uno labore abſolvam : deinde ad *Reſponſionis auſtorem* me totum convertam, & reliqua omnia, quæ ſibi propria habuerit, ſeparatim perpendam ; non immemor interea *Animadverſionis etiam brevis*, ſi quid Auſtor ejus vel novi, vel notatu digni attulerit ; quod rariùs tamen fiet, propterea quod is, ut dixi, haud aliud feciſſe videtur, ac ea quæ antea dicta eſſent, verbis atque ordine paululum immutatis iterare.

Sed antequam in aciem ipſam deſcendamus, operæ pretium erit, de controverſiæ hujus ſtatu nonnulla breviter præfari, & queſtionem ipſam ita definire, ac limitibus circumſcribere, ut conſtituatur quid & quale ſit id, de quo diſceptamus ; quod ni fiat, vagabitur nimis hæc omnis diſputatio, neque certam tandem ullam ſtabilemve ſententiam elicere inde poterimus.

Itaque hoc potiffimum a leſtore animadverſum velim, ea omnia, quæ de *Medicorum Conditione* a me ſunt diſputata, ad eam *Urbis Romæ*

Dissertationis de Medicorum Romæ Degentium ætatem, quæ Cæsarum temporibus antecessit, referri omnino oportere ; hos mihi in Dissertatione meâ controversiæ hujus terminos constitui : per id temporis spatium, quò septingentos circiter annos complectitur, Medicinam non nisi a Peregrinis, libertis, servisque penitus administratam fuisse contendo ; Artemque ipsam tanto in contemptu a Populo Romano habitam reperio, ut professio ejus Civium omnino existimatione indigna judicaretur ; atque eorum adeo ne unum quidem, qui eam unquam attigerit, ostendi posse existimo. Qui verò hanc sententiam impugnant, ea, quæ de Medicis Servis a Veteribus tradita reperiantur, non de Medicis proprie dictis, sed de Chirurgis, eisque solummodo, qui inferiores atque operarias Medicinæ partes tractabant, intelligenda prorsus esse disputant : atque hinc alia statim de Chirurgis enata quæstio est ; videlicet, num iisdem illis temporibus Chirurgorum & Medicorum conditio diversa omnino, aut ab invicem sejuncta fuerit ; numve Medicæ Artis partitio ulla tunc temporis facta esse appareat. Ego vero, quantum cum ex Scripto-ribus antiquis, tum Medicis præsertim nostrorum temporum eruditissimis, qui in hac ipsa causa perquirenda quàm maximè elaborarint, investigare ac colligere valuerim ; haud ullam Artis hujus partitionem, ullamve præsertim Medicorum & Chirurgorum distinctionem per id omne temporis intervallum fieri reperio ; sed utroque cum eodem nomine appellari, tum eodem loco & conditione haberi video : quod quidem etsi generatim

generatim verum esse credo, haud ita tamen verum, quin quod omnibus universim enuntiatis accidere solet, huic itidem veritati unam alteramve forsitan exceptionem opponi posse existimem; neque aliam omnino regulam huic nostræ quæstioni constitui debere arbitror, ac quam omnibus constitutam novimus; videlicet, *res quasvis ex majori semper parte nominari oportere, etiam si pars aliqua abesset* [b].

Quisquis igitur hanc meam opinionem sibi refellendam suscipiet; is primùm terminos huic omni disputationi positos animadvertat & consideret necesse est; quæstionemque sese tractare meminerit, tum loco tum tempore certo definitam & circumscriptam: nihil attinet in hac causa de Medicorum divitiis, honoribus, artisque dignitate puerorum more & sine ulla temporum distinctione declamare; ostendat mihi, si poterit, *homines aliquot Romanos* in eo temporis spatio *Medicæ Artis studio & professione* florentes: ostendat mihi *Medicos* non nomine modo, sed conditione atque honore a *Chirurgis distinctos*: atque hoc si quis fecerit, tum demum redargui memet & confutari plane fatebor.

Sed ad *Annotatorem* jam *nostrum* descendamus; qui etsi literis istis M. D. libelli in fronte adscriptis, sese tanquam *Medicinæ Doctorem* nobis venditare sperat, mihi tamen haud facile

[b] Cic. Tusc. qu. 5.

persuaserim, homini tam imperito tamque inepto, *Academias hæc nostras* honorem unquam istum detulisse: Crederem potius, si quam ex stylo ejus conjecturam facere liceat, de *Medicorum istorum* grege cum esse, qui fora circumire, ex pulpitis perorare, laudesque suas, artisque gloriam ad populum prædicare solent. Etenim quid aliud nobis indicare, quid aliud nobis indicare, quidve aliud olere videtur oratio ista vehemens ac turgida? Quid aliud illæ repetitæ toties ad populum exclamationes? *Jam illa reputate, quæso, quæ de Asclepiade, Medico celebri, memoriæ tradita sunt* [a]: *legatis, quæso, locum Plinii de quæstibus Medicorum* [b]: *videte, quam ingentes Medici Romani confecerint pecuniæ summas* [c]: *quæso locum ipsam inspicite* [d]: utcunque vero de hac re latuimus, hoc unum certissimum est, in *notis hæc brevibus* vel ingenii vel modestiæ ne minimum quidem signum reperiri, nisi quod Auctor nomen suum tam industriè celaverit, quasi temeritatis atque ignorantia suæ conscius.

Ego vero cum *Dissertationis meæ* initio dixissem, *apud veteres Romanos, per prima aliquot ab Urbe conditâ secula, medendi Artem, non modo minus exultam, sed ne cognitam quidem esse, ex monumentorum omnium silentio suspicari nos posse.* Exclamat illico *Annotator hicce* [e];

[a] Not. br. p. 8.

[b] Ib. p. 15.

[c] Ib. p. 16.

[d] p. 17.

[e] p. 4.

initium ejus, lectores, advertite. De illorum conditione scribere virum doctissimum videtis, quos ne fuisse quidem suspicatur. Inde potestis intelligere quanta sit ejus in scribendo diligentia & accuratio. Annon vero, homo acute, id scriptoris quam maxime diligentis, atque accurati est, rem in controversia agitatam ab ipsis fontibus exquirere, ab ipsis primordiis investigare? Annon de Arte Medica, disputantis; illa quo primum tempore cognosci, quo deinde excoli cœperit, exponere?

Sed omnino gravius Middletoni erratum, inquit [a], extemplo licebit agnoscere, quo tanquam fundamento nititur universum opus. Quod disputaram scilicet, doctorum perplurium auctoritate, Medicinam Clinicam & Chirurgicam ab eodem homine semper exerceri, nec Chirurgos a cæteris Medicis antiquitus unquam distingui, quippe ex illa de Medicorum Conditione disputatione, aliam, ut supra dixi, tanquam e radice [enatam] vidimus de Medicinæ partitione quæstionem, quam alii certe omnes prioris ejus appendicem, seu consequens quoddam dicerent, noster autem hicce fundamentum ubique appellat. Itaque labefactato, inquit, ipsius fundamento corrui totum opus [b]. Sed fundamentorum hicce everfor, videamus jam, quemadmodum opinionem meam refutet.

[a] pag. 4.

[b] p. 13.

Et quoniam in hanc disputationis partem, etsi loco quidem haud satis idoneo, incidimus, ne eadem sæpiùs iterando lectori molestus essem, huc etiam illa quoque, quæ de eadem re *Responsionis Auctor* disputaverit, conferre visum est; præsertim cum communia fere inter se omnia utrosque habere video. Primum enim utrique se *unico Corn. Celsi loco* causam hanc omnem expedire, remque conficere posse censent; quo scilicet loco *Celsus de Medicinæ partitione, tanquam suo tempore Romæ usitatâ, loqui videtur* [a]. At in omni quæstione dijudicandâ, quæ certi cujusdam temporis limitibus continetur, id omnino spectandum est; non tantum quid de re ipsa in controversia posita Auctores tradant, sed ad quæ potissimum tempora eorum verba referri debeant: de *Celsi* autem tempore nihil prorsus *Annotator noster* attulit; at *Tiberii ætate* eum floruisse *Responsionis Auctor* dicit [b], de quo tamen inter Auctores haud satis constare credo; convenit solummodo inter omnes eum *Cesarum temporibus* vixisse; quod cum ita sit, cumque *Celsus* præsertim hoc ipso loco a Viris eruditis adducto *Medicinæ divisionem*, utcumque apud alias gentes diù invaluisse, ut *Romæ* tamen nonnisi suo tempore *recentem nec diu usitatam* indicare plane videtur [c]; hoc ejus testimonium, utcumque

[a] Not. br. p. 6. it. Respon. p. 179.

[b] Resp. p. 162.

[c] Ac Romæ quoque non mediocres Professores, maximeque super Tryphon, &c.

luculentulum atque *opportunum* viris hisce videatur, haud quicquam tamen contra meam sententiam probare, nec causam fere ipsam attingere ab aliis certe omnibus judicabitur.

Ego vero, ut quivis facilè conjiciet, haud *Celsi* omnia perlegisse præ me fero; mihi fatis esse duco, quòd de *Medicis ipsis* doctissimos quosque sententiæ meæ auctores habeam, quodque eos omnes qui in veterum scriptis evolvendis quam diligentissimè fuerint versati, eadem hæc omnia de *Medicinæ divisione* credidisse semper & disputasse reperiam: *Clericusque* ille potissimum, qui *totius Artis historiam* contexit, quique non unum alterumve *Celsi* locum, sed omnes ejus libros ad hoc ipsum investigandum perscrutatus est, sese tamen dubitare planè fateatur, an *Medicæ Artis partitio Celsi adhuc ætate re vera facta & in usu omnino Romæ fuerit.*

Hoc autem in loco *Responsionis Auctor* mirum sane nobis tum ingenii, tum modestiæ suæ specimen præbet, qui mihi, uti alias sæpe videbimus, *Clerici* locum istum corrumpendi atque ad sensus meos detorquendi crimen objicit; quippe *Clericum* non modo de *Medicinæ partitione istâ nihil dubitare*, sed *contrarium planè* ex ejus verbis colligi posse fidenter atque apertè affirmat [a]. Ego vero contra; nullam mihi fidem nec in hac, nec alia quâvis causâ haben-

[a] Resp. p. 190,

dam posco, ni ex *Clerici* tum verbis tum sententiâ illud ipsum, quod dixeram, significari penitus appareat. *Clericus* enim, postquam ex *Celsi* verbis, sensuque, *Medicinæ in tres partes divisionem* explicuisset, ita denique concludit: *Soit que la chose se pratiquât effectivement ainsi de son temps; soit qu'il ait voulu simplement marquer comme elle devoit aller [a].* Quod ita quidem vertere licet; *sive tamen Celsi ætate partitio ista reverà ita in usu fuerit; sive id tantummodo in animo Celsus habuerit, ut significaret, quemadmodum ea fieri debuisset,* atque hanc, ut memini, dubitationis suæ rationem *Clericus* adjungit, quòd eam adhuc consuetudinem, vel *post Celsum,* in usu mansisse invenerat, ut omnes simul *Medicinæ* partes a *singulis Medicis* unà exercerentur. Itaque si *Celsi auctoritas* in hac quæstione aut nihil, aut parum valere poterit; multo certe minus Galenus, quem posterius vixisse novimus, quemque alterum sententiæ suæ auctorem noster hicce adducit ad hanc omnino causam advocandus erit: quod quidem videre, & concedere plane *Responsionis Auctorem* sentio [b]. Galeni igitur testimonio contra opinionem meam prolato, nihil opus est, ut quicquam prorsus respondeam.

Pergit autem ostendere Vir acutus, quam *opinionem ipse adverser meæ [c],* qui *Archagathum il-*

[a] Vid. Resp. p. 191.

[b] Resp. p. 185.

[c] Not. br. p. 8.

lum, quem primùm Medicinæ exercendæ causâ Romam venisse legimus, *Chirurgum* fuisse confitear. Ego verò quidni *Archagathum Chirurgum* appellem, qui non eum solum, sed *Medicos etiam omnes*, quotquot *Romæ* deinceps vel aliquot post seculis artem suam exercuerint, *Chirurgos* fuisse, omnesque simul Medicinæ partes semper tractasse contendo, multisque exemplis probavi: quodque *Archagathus* iste vulnera curasse dicitur, id sententiam meam non evertere certè, sed confirmare potius judicabitur; nisi ex priori, ut aiunt, esset demonstratum, eos, qui *Chirurgicam Medicinæ partem* tractare solerent, nullam unquam aliam omnino attigisse.

Sed idem hocce de *Archagatho* argumentum pluribus etiam persequitur *Responsionis Auctor*; dicitque sibi perspicuum videri, eum *nil nisi Chirurgiam* exercuisse, propterea quod a *Plinio vulnerarius* appelletur [a]: quasi nomen istud non idcirco adipisci potuisset, quod *vulnerum præcipue curationi* sese applicuisset, quodque eis magis quàm *morbis medendis* peritus ac expertus habebatur; utpote qui partam eam, in *Urbe* scilicet *bellicosâ*, reliquis forsitan pluris æstimari observasset. Cum vero propter *Archagathi* hujus in vulneribus curandis sævitiam, & *artem ipsam & omnes medicos in tædium cito transisse* discimus; causam sane nullam, quamobrem id fieret, videre queo; ni illis quoque temporibus

[a] Resp. p. 182.

Dissertationis de Medicorum Romæ Degentium cæteri etiam Medici eodem planè modo artem suam exercuissent & quod Archagathum fecisse contendo, reliquas simul Medicinæ partes unà cum Chirurgicâ omnes administraissent.

At *Asclepiadem* denique *Medicum*, *Pompeii ætate* celeberrimum *Chirurgiam* omnino non attigisse *Annotator noster* affirmat; idque *librorum* [a] *ejus inscriptionibus* declarari ait; propterea quod inter opera ejus, quorum tituli solummodo aliquot nobis jam restant, nihil omnino de *Chirurgia* ab eo scripti memoriæ proditur: atque hoc idem à *Responsionis quoque Auctore* disputatum videmus [b]. Præclarum sane Argumentum! quod vix alius, præter *hoc eruditorum par nobile*, excogitare unquam potuisset: *Asclepiades* nihil de re *Chirurgica* aut scripti reliquit, aut quod reliquisset, periit; ergo *Chirurgiam* non omnino attigit. Sed non vident *Viri ingeniosi*, *Asclepiadem* dum *Chirurgum* fuisse negant, at *Pharmacopolam* saltem fuisse, eodem illo Argumento concedant necesse est; scilicet quod de *medicamentorum compositione* eum scripsisse fateantur. *Asclepiades* vero ipse, cum in *Anginis curandis* novam quandam curandi rationem instituisse traditur [c], a *Chirurgica artis parte* non omnino manus abstinuisse videtur.

[a] Not. br. p. 10.

[b] Resp. p. 197.

[c] Plin. Hist. Not. l. 26. 3.

Annotator autem *noster* tanquam rem omnino claram, certamque esse demonstrasset, hanc tandem conclusionem ex præmissis istis elicit: *Ergo fuit, inquit [a] Romæ Asclepiades Medicus Clinicus, nec Chirurgiam omnino attingens; Archagathus vero Chirurgus, nec reliquam Medicinam tractans; etiam ante Imperatorum tempora. Ego vero si hisce ineptiis quicquam serio respondere aggrederer, memet sane, vel hominibus hisce ipsis insipientiorem censeri debere judicarem.*

Sed ad reliqua convellenda homo progreditur; & *neque minus, inquit, id Middletoni erratum est, ubi ex Mercurialis auctoritate, omnes Medicos usque ad Galeni tempora sua medicamenta parasse ait [b]. Ubi candoris, æquitatisque ejus specimen obiter notare libet; non contentus enim meos omnes errores insectari, aliorum mihi errata imputat; & cum Mercurialis, viri eruditissimi verba, sententiamque exhibuissem, non minus me errasse dicit, quàm si ex meipso essem locutus, meosque penitus sensus protulissem. Mercurialem verò Plinii ipse testimonio refellere conatur [c], quo loco Plinius Medicos quidem severè reprehendit, quod a Medicaminibus conficiendis, quod proprium esse Medicinæ solebat, sese abstinere cepissent, & præ medicamentorum ignorantia, quo-*

[a] Not. br. p. 10.

[b] Not. br. p. 12.

[c] Not. br. p. 13.

Dissertationis de Medicorum Romæ Degentium rum vel nomina pars major ignorabat, ab aliis emplastra & collyria mercari coacti essent. Hæc autem verba haud satis attendit *Vir doctus*, quàm contra suam ipsius disputationem faciant, dum probant *Medicos* vel iis temporibus *Chirurgorum* munere aliquo fungi, atque *emplastra & collyria*, utcunque ab aliis facta & parata, suis tamen manibus tractare, atque ad usus destinatos applicare solere. Cum autem *Plinius* ipse *Galenum* haud longè ætate antecessit; hæc ejus verba *Mercurialis* itidem opinionem confirmare potius quàm evertere videntur, præsertim si ut omnia generatim dicta intelligi debent, eam non nimis severè ac restrictè accipiamus: quod quidem a *Responsionis* etiam *Auctore* concessum planè animadverto [a].

Antequam vero hanc de *Medicinæ partitione* disputationem concludamus; ego sanè, qui nec in hac, nec in aliâ quâvis quæstione aliud mihi propositum habeam, ac quod verum, aut veri saltem simillimum sit, investigare, nequeo hic dissimulare, *Responsionis* illum, atque *Animadversionis brevis* *Auctorem*, locum quendam *Ciceronis* adduxisse, qui ad causam suam haud parum valere videtur [b]: quod idem sane alias etiam,

[a] Resp. p. 187.

[b] Resp. p. 182. it. Animad. br. p. 39. verba *Ciceronis* hæc sunt. Tum *Crassus*, Non in hac, inquit, una re, *Catule*, sed in aliis etiam compluribus, distributione partium, ac separatione, magnitudines sunt artium diminutæ. An Tu existimas, cum esset *Hippocrates* ille
Cous,

etiam, nec minus quidem liberè faterer, si quid apud eos solidi unquam aut probabilis invenissem. Atque hunc ipsum locum ego quidem post *Dissertationem* meam editam observaram, cumque amicis communicaram; quo scilicet indicare Cicero videtur, *medendi artem* vel *sua ætate* in *diversas partes* distribui, *singulasque a singulis* interdum administrari solere: quod quidem etsi non satis perspicuum sit, utrum de *Medicina*, uti tunc in *Græcia*, an uti *Romæ* exercebatur, accipiendum sit; concessio, tamen ad *Medicos* potius *Romæ degentes* id pertinere; at non inde tamen sequitur morem illum *universè* ac *generatim* tunc obtinuisse, sed aliquatenus solummodo processisse; quod tum ex eis, quæ in *Dissertatione mea* dixeram, tum innumeris aliis Auctorum veterum locis probari facile poterit.

Quod autem magis ad rem nostram est; ex hoc eodem loco videre possumus, quàm longe aliter Cicero de vera *Medicorum* laude ac præstantiâ, ac illi, quibuscum rem habemus, iudicaverit: *nostri* enim *Medicorum propugnatores* eos tantum *servilis* [a] atque *abjectæ sortis* fuisse asserunt, qui *omnes simul medicinæ partes, morborum* scilicet *vulnerumque* curationes una profiterentur [b]; *Insignes autem viros, ac arte*

Cous, fuisse tum alios Medicos, qui morbis; alios qui vulneribus: alios qui oculis mederentur? De Orat. l. 3. 33.

[a] Resp. p. 193.

[b] Ib. p. 222.

Dissertationis de Medicorum Romæ Degentium celebratos uni tantum parti se totos addixisse— itaque *Clinicum* solummodo *Medicum* fabulæ suæ *Heroem* constituunt ; eum solum & virum magnum & *Medici nomine* dignum judicant : si quis vero *Cirurgiam* vel digito attigerit : de *Medicorum* statim classe ac professione dejiciunt. At *Ciceronem* contra, quàm longe diversa & contraria plane omnia de *Medicorum* dignitate sensisse videmus ? qui *hac medicinæ partitione* artem ipsam discerptam, ejusque *laudem & magnitudinem imminutam* indicat ; nec se eos in *medicis magnis* atque *excellentibus* numerare ostendit, qui vel *morborum* vel *vulnerum medicinam separatim* atque *unicè* profiterentur, sed qui, *Hippocratis exemplo*, *nullam medicinæ partem* negligentes, aliisve figillatim exercendam relinquentes, *universam simul artem* complexi atque unà professi fuerint : cumque hæc ab eo dici cernimus, qui eodem illo libro *Asclepiadem*, uti *Medicum eximium* atque *amicum suum* laudaverit ; nonne verisimile inde videtur *Asclepiadem ipsum* de eorum numero esse, qui non *excerptam aliquam medicinæ partem*, sed qui *universam* essent professi.

Utcunque vero *Medicorum & Chirurgorum* disjuncta & propria fuisse munera confitemur, (quod tamen non generatim verum esse certissimum est) nullo tamen modo sequitur, *diversas* propterea eorum *conditiones*, aut *vitæ sortes* fuisse ; sed in eo saltem temporis spatio, intra quod hanc nostram disputationem conclusimus,

simus ejusdem certe loci atque ordinis utrosque semper habitos esse apparet; ni in *Urbe*, ut supra dixi, *bellicosa* verisimile magis videatur, *Cirurgos* seu *vulnerum medicos* majori potius in pretio fuisse: ex omnibus enim *Romanorum Veterum Medicis* duos potissimum Auctores nostri secernunt, quos *veros* ac *Germanos Chirurgos* fuisse affirmant, *Archagathum*, atque *Alcontem*; eum, quod *Vulnerarius*; hunc, quod *vulnerum Medicus* dicitur [a]: quorum alteri tantos sane honores, quantos nulli unquam *Medico*, ante *Cesarum ætatem*, habitos cognovimus; *Civitatem datam*, *tabernamque publice emptam*: Alter vero, sub *Claudio Imperatore*, in eorum numero a *Plinio* celebratur, qui maximos atque incredibiles fere quæstus ex arte sua confecerunt. Habeant igitur homines nostri, si velint, quod tantopere contendunt, *istos* scilicet *duos*, *vere ac proprie Chirurgos* fuisse; hoc tamen nobis concedere necesse erit, eos, si non majori, at pari saltem cum *cæteris Medicis* honore fuisse.

Sed de *Medicæ artis partitione* jam fatis dictum opinor; ad ea igitur pergamus, quæ de ipsa Quæstionis summa, de *servili* scilicet *Medicorum conditione* *Annotator* *hicce* disputat. Atque hic conqueri eum graviter, meque insimulare video; quod *Medicos malitiosè deprimere studerem* [b]; quod, *siquid in eos congerere*

[a] Plin. Hist. N. I. 29. 1.

[b] Not. br. p. 23.

Dissertationis de Medicorum Romæ Degentiam
 possem, de veritate non essem sollicitus [a]. Quod,
 quæ de humillimas Medicinæ partes tractantibus
 dicta usquam reperissem, in universos artis Pro-
 fessores transtulissem [b]: quòd, ea de Medicis
 generatim asseruissem, quæ [c] non de Medicis
 Clinicis, nec Chirurgis quidem bonis, sed de Phle-
 botomis solummodo, Auriculariis, Herniariis, re-
 nuntioribus, enematumvè administratoribus intelli-
 gere contendit.

Ego verò contra; etfi de Medicis Veteribus
 alios aliis longe præstitisse sciam: Utque inter
 Annotatorem, qui Medicinæ sese Doctorem jacti-
 tat, scriptis verò Artem dedecorat, Principesque
 illos viros, qui non Arti suæ solummodo, sed
 genti etiam totî scriptis suis gloriam afferunt,
 immane quiddam discrepare videmus; ita Romæ
 quoque nonnullos olim tum scientiâ, tum famâ,
 magnorumque familiaritate cæteris omnibus an-
 tecelluisse necesse est: hos tamen universos,
 cum doctos, tum indictos, cum summos, tum
 infimos, absque ullâ exceptione, Græcos certè
 aut Peregrinos, sed maximam longè partem
 Servos & Libertos fuisse, affirmare haud dubi-
 taverim.

Etenim num omnino cuiquam credibile videri
 potest, magnos illos Reipublicæ Romanæ Prin-
 cipes, quos Medicos Servos in familiis suis semper
 habuisse cognovimus, non Artis peritissimos quos-

[a] Ib. 13.

[b] Ib. 14.

[c] Ib. 17.

que ex Asiâ; Græciâve conquisivisse, sed *Aricularium* solummodo, vel *reunctorum* aliquem domi apud se tenuisse? Num *Consules* ac *Imperatores*, quos *Medicos Servos* secum semper in provincias eduxisse legimus, *Plebotomo* alicui vel *Unguentario* valetudinem suam commisisse putandum est? Num denique verisimile est, *Cæsarem Augustum*, cum *Germanico* in acie militanti *Medicum Servum unà cum C. Caligula* tunc infantulo mitteret, *enemiatum* solummodo *administratorem*, annon *Medicum* potius gravem, fide & scientiâ præstantem, de *Servis suis* misisse? De hoc sane neminem præter hunc *Annotatorem* dubitare posse certò scio.

Ille vero huic meæ disputationi *Asclepiadis Medici* famam & dignitatem opponit. *Reputate, quæso*, inquit, *quantus vir fuit Asclepiades [a] quantam apud summos viros auctoritatem sit consecutus; adeo ut non gravaretur ille Romanæ eloquentiæ Princeps Cicero, cum, ut amicum suum concelebrare. Qui quidem honos summus haberi posset; ni major etiam ipsi contigisset: etenim a Mithridate, maximo Rege sollicitatus est, ut ad illum veniret.* En verò alterum hominis specimen! qui *Ciceronis* amicitiae & familiaritati, *lucrum*, *stipendiumque* a *Rege barbaro* oblatum honore anteponit. Sed *Asclepiadem* longè aliter sensisse videmus, qui maluit, in illa *Urbis* luce, laude & gratia apud *Optimates*, quàm apud

[a] Not. br. p. 8, 9.

Differtationis de Medicorum Romæ Degentium
Mithridatem opibus florere. *Asclepiadis* autem
hujus honores, utcunque magnos eos fuisse con-
cedamus, ad hanc tamen causam nequaquam
pertinere contendo: de ejus enim conditione
nihil fere memoriæ traditum habemus, nisi quòd
e levissima gente, & sine ullis opibus, ex Rhetore
Medicus evaserit [a]: & quantuscunque demum
fuerit, nec nominis famâ, nec honoribus, vitæ-
que splendore cum *Antonio Musa* conferendum
existimo: quem tamen *servum* fuisse cognosci-
mus; atque *Asclepiadem* igitur nisi *hominem Ro-*
manum, nisi non *servum*, nec *Græcum* fuisse
Auëtor noster probaverit, nihil omnino contra
meam sententiam disputare a viris doctis cen-
sebitur.

Neque illa minùs futilia, minusve ab hæc
omni quæstione aliena, quæ de *Artis Medicæ*
fructu olim ingenti, *opibusque Professorum* homo
eruditus dissevit. *Legatis quæso*, inquit, *locum*
Plinii de quæstibus medicorum [b]: quasi de
divitiis, & non de *conditione Medicorum* dispu-
tatio nostra instituta esset: nos autem, ut ait
Cicero [c], *neque divitiæ movent quibus omnes*
Africanos & Lælios multi Venalitiæ & Mercatores
superarunt. Sed noster hicce cum *Medicos suos*
divites fuisse ostenderit, omnia se probasse pu-
tat; nec scire planè videtur, quod *Romæ* sæ-
pissime contigisse legimus, magnorum scilicet

[a] Plin. Hist. Not. l. 26. 3.

[b] Not. br. p. 15.

[c] Orator.

Virorum tum *Libertos*, tum *Servos*, qui apud Dominos suos gratiâ florent, ingentes sibi opes ac potestatem adipisci solere: quorum nonnullis *vel Prætoria interdum Ornamenta decerni legimus*; tantùmque non cum laureatis fascibus remitti illo, unde cretatis pedibus advenissent [a]; De quo quidem argumento, librum me alicubi vidisse memini, de *eis* scilicet *Servis* conscriptum; qui summam sibi auctoritatem, immensasque divitias ex *Servitute* confecisse a Veteribus memorantur, *Pliniusque*, in celebri illâ ad *Trajanum Oratione*, non dubitat dicere, *Imperatores ipsos, cum essent Civium domini, libertorum tamen fuisse servos*. Quid igitur, Vir ingeniose, de his tantis Viris constituendum putas? Annon in *Servorum & Libertorum* propterea grege numerandos censes, quod gratia, opibus, auctoritate eos floruisse accepimus? Numve eadem planè omnia de *Divite tuo* cogitas, quæ *Stoici de Sapiente suo* jactitant, eum videlicet vel ex *infima sorte Nobilem*; vel in *Servitute Liberum* esse.

Vides jam opinor, aut si tu quidem minùs, at alii certe omnes vident *Notarum tuarum* futilitatem: Ego *Medicos Romæ degentes*, præsertim ante *Cæsarum ætatem*, aut *Servos* aut *Libertos*, aut *Peregrinos* saltem omnes fuisse disputo. Tu verò, qui *fundamenta mea* labefactas, qui me *Calumniatorem* appellas, quid

[a] Plin. Hist. Not. l. 35. 18.

Dissertationis de Medicorum Romæ Degentium
 tandem contra affers? at contra *legatis quæso*, in-
 quis, *locum Plinii de quæstibus Medicorum*. Ni-
 hil scilicet aliud ostendere conaris, ac *Medicorum*
 nonnullos *Artis famâ* floruisse, *magnos quæstus*
 fecisse, *Optimatibus caros* fuisse, idque non nisi
Cæsarum temporibus; quæ tibi omnia, absque
 ullo causæ meæ detrimento, libens concedere
 possum.

Sed commoveri jam atque irasci planè homi-
 nem video, quòd *Sexaginta Solidos* pretium olim
 fuisse *Medicis servis à jure Civili* constitutum
 observassem: exclamat illicò, *an vobis hoc cre-
 dibile est [a]? an quemquam ex Romanis creditis
 tam amentem fore, ut tantum hominem tam parvo
 pretio venderet?* credere scilicet videtur *Vir
 doctus*, atque *Antiquitatis tantopere intelligens*,
 me de *nostris omnino solidis* esse locutum; clau-
 sulamque illam, quam in *Syngraphis* adjungi vi-
 derat, hic quoque subintelligi debere existimat;
 videlicet, *bonæ & legalis monetæ Angliæ*—Ut
 verò hanc ei molestiam aliquatenus minuam, nec
 tam acerbè posthac ferat *Artis suæ professores*
 tantulo olim venisse; scire eum velim quicquid
 de *solidis istis* dixeram, de *Romanis prorsus so-
 lidis* esse intelligendum; quorum singulos, ut
 nonnulli, atque optimi illi quidem Auctores,
 tradunt, *Sexdecim* circiter de nostris pretio æquasse
 reperio [b].

[a] Not. br. p. 16.

[b] Vid. *Arbutnot of Coins, &c.* p. 163;

At majores adhuc *Medicus noster* clamores ciet, propterea quod *Medicinæ professionem Civis Romani gravitate seu existimatione indignam, Plinio Auctore [a] asseruiffem. Quippe id, inquit, à solo Middletono apud Plinium legitur [b]. De indignitate autem Artis, apud Plinium nè verbum quidem ullum est; sed eam vocem INDIGNAM ad Plinii verba à bono Theologo adtextam videtis, quo vobis fucum faceret. Atque eadem ferè omnia de hoc Plinii loco post Annotatorem nostrum iterat egregius iste Responsionis Auctor; miraturque Middletonum curam attentio-rem in Scriptis Veterum citandis atque explicandis non adhibuisse. Non enim, inquit [c], dicit Plinius (ut ille nobis persuadere studet) mendendi Artem Romanos gravitate suâ indignam judicasse; nec qui eam attigerint, tanquam ad Græcos transfugas fuisse habitos. Neque vox indignam hic legitur, neque Voces, ad Græcos transfugæ, eo sensu dicuntur quem is confingit. Quantum in utrisque consensum, quantam in me criminando concordiam videmus? Ego vero tantorum virorum conjunctos simul impetus haud unquam sustinere potero. Itane vero*

[a] Solam hanc Græcarum Artium nondum exercet Romana Gravitas in tanto fructu. Paucissimi Quiritium attigere, & ipsi statim ad Græcos transfugæ: imo vero auctoritas aliter quàm Græcè eam tractantibus etiam apud imperitos expertesque linguæ non est. Plin. Hist. l. 29. 1. [b] Not. br. p. 18. [c] Resp. p. 49.

Viri ingeniosi? nihilne dicitis de *Medicinæ indignitate* apud *Plinium* reperiri? Quid igitur statuendum putatis, non dicam de *bono Theologo*, sed de *bonis istis Medicis* [a], qui *Artis suæ defensionem contra Plinium ipsum* susceperunt; qui de *Artis, inquam, dignitate* libros aliquot contra *Plinium* scripserunt? annon illos eadem omnia, ac *Middletonum, de Artis indignitate* apud eum legisse creditis? An eos quoque *voces finxisse* dicitis? Numve Vos tandem soli, *tales stulti, bardique* (ut *Annotatoris* verbis utar) reperiemini, ut quod alii omnes facilè vident, nec videre nec intelligere poteritis? Sed exclametis licet, quantum volueritis; Ego contra contendo atque affirmo, *Plinium* hoc ipso in loco asserere, *Romanos* propterea *medendi Artē* neglexisse, nec ad eam exercendam ullo quæstu allici potuisse, quod *gravitate sua indignam* eam iudicarint: paucissimosque illos qui *Plinii tandem ætate* ad eadem sese applicuissent. ad *Græcos transfugere*, id est, à *Græcis hominibus* artis præcepta petere, & vel *Græcè* loqui, scribere, præscriptaque *Medica* tradere fuisse coactos: quippe cum *Romæ* ab ipsis *Artis primordiis, Medicinæ omnis administratio* non nisi *Græcorum in manibus* versata esset; nulla planè *Auctoritas* aliter ac *Græcè eam tractantibus* etiam apud imperitos erat.

[a] Jo. Filescus. *Medicinæ defensio adversus Plinium majorem* 8vo. Par. 1618. it. G. Kirstenius de *Medicinæ dignitate contra Plinium & Platonem* 4to. Stetini 1647.

Romanos autem homines artium certè Græcarum, quàm maximè cupidos, atque avidos planè fuisse cognovimus; & quicquid Græcia habuerit quod omnino expetendum esset, id studio & industria sua ad se statim transtulisse [a]: eoque præterea ingenio fuisse; ut omnia consequi potuissent, ut primum velle cœpissent; nec consequi solummodo: sed à Græcis ipsis accepta vel meliora etiam & perfectiora facere solere, siquæ, ut ait Cicero [b], digna statuisent in quibus elaborarent. Itaque cum ex omnibus Græcorum Artibus, Medicinam solam eos neglexisse cernimus; quam aliam causam probabilem, vel omnino ullam excogitare aut fingere possumus, nisi quod Civibus suis nec expetendam nec gravitate sua dignam judicarent; quod Plinius profecto hoc ipso in loco verbis nullo modo dubiis aut obscuris declarat, cum dicat, *Hanc solam Artium Græcarum Romanam gravitatem vel tanto in fructu nunquam attigisse.* Itaque vox illa **INDIGNAM** quam Vos tantopere stomachamini, etsi in *Plinii* quidem verbis non reperiatur, ad sententiam tamen constituendam necessario requiritur: neque de voculis ego Auctorum, sed de sensibus omnino disputandum esse censeo: vestramque loci hujus interpretationem, nec *Plinii* mentem attingere nec sensum plane ullum continere dico. Quod dicit autem *Responsionis Auctor* voces eas, ad Græcos Transfugæ, non

[a] Cic. Tusc. q. 2. 2.

[b] Ib. 1. 1. it. Ib. 4. 2.

eo sensu accipi debere, quem ego confinxeram; ego sane quid sibi velit, non intelligo; nisi quoddam calumniandi occasionem, cum nulla prorsus fuerit oblata, arripere studeat; quippe ego *uocibus istis* nullam omnino interpretationem sensumve meum dederam, sed nudas eas solummodo, ut in *Plinio* legantur, protuleram.

Atqui ad unicum jam libelli hujus locum devenimus, quo me cum aliquâ veritatis specie aut ratione probabili premere atque urgere *Annotator* videtur: scilicet quod *Suetonii* locum quendam ad causam meam detorsissem, & tum verba, tum sensus, aliter ac in Auctore eo reperiuntur, dedissem; quod an *incuriæ* seu *malitiæ potius meæ* tribuendum sit, postquam paulisper dubitaverit, *malitiæ* statim & *illi summæ* quidem assignat; *meque falsitate aperta incautos circumvenire in animo habuisse* infimulat [b]. Quis autem, præter *Medicæstrum huncce, malitiæ exercendæ* causam, aut locum quidem ullum hac in re invenire potuisset? etenim hoc *Suetonii testimonium* si de *Dissertatione mea* penitus tolleretur, num claudicaret ideo quæstio nostra? numve detrimenti omnino quicquam caperet? quid si hoc in loco *Medicos in Peregrinis* & non in *Servitiis* numerari fatendum sit? id num *Annotatoris causæ* omnino infervit? num meam debilitat; qui *Medicos*, partim *Servos*, partim *Libertos*, omnes tamen *Peregrinos* fuisse disputo? Si ex his, inquam, verbis *Medicos de Servorum*

[b] Not. br. p. 19.

grege fuisse minùs probetur ; nonne ex aliis permultis *ejusdem Suetonii* locis *Servos eos fuisse* aperte demonstratur ? itaque fatui plane hominis fuisset, malitiam ibi adhibere, ubi detecta infamiam certam inureret, celata vero nihil prorsus ad controversiæ summam conferret. Sicut autem *a malitiæ*, ita vellem sanè ab *incuriæ & negligentie* crimine memet æque defendere possem : sed ut fatear planè quod res est ; cum duos ad eandem rem Auctores in *Commentariolis notatos* haberem ; unum quidem, qui totidem planè verbis id quod posueram, significaret ; alterum vero, qui eidem aliquo modo favere, atque ex parte declarare videretur ; quemque idcirco notaram ; nec verba tamen ejus descripseram ; præ nimiâ tandem festinatione & negligentia Auctores ipsos adire omittebat, nec pluribus in re unâ testibus opus esse putans, eum quem minùs oportuit, *Suetonium* scilicet *Orosii loco* ad causam meam adhibui : quod *Responsionis* quidem *Auctor*, mihi licet aliàs haud satis æquus, hoc tamen in loco fieri necesse esse agnoscit [a]. Id vero in re tam apertâ, tamque parum ad controversiæ summam pertinente, an *incuriæ* seu *malitiæ* potius tribuendum sit, haud opus est pluribus ostendere : illud tantummodo dicam ; quod etsi plures etiam hujusmodi errores in *Scriptorum verbis exponendis Auctores nostri* aliàs sæpe, idque satis fidenter mihi objiciant, illos tamen, quoties

[a] Resp. p. 81.

Dissertationis de Medicorum Romæ Degentium
 exemplis rem illustrare aggredientur, inscitia
 toties suæ aut malitiæ Argumenta præbituros.

Annotator autem *nosser*, tanquam causam
 jam omnem expediisset, controversiamque peni-
 tūs absolvisset; *Minimi*, inquit, *momenti sunt*
reliqua, quæ a Middletono prolata sunt, &c. [b]
& permulta talia sunt, quæ vos ipsi nè quidem
digna refutatione censebitis [c]. At nullius igi-
 tur ponderis esse credis, tot illa Scriptorum ve-
 terum testimonia, quæ *Medicos Romæ degentes,*
Servos maximam partem fuisse clare atque aperte
 declarant? num minimi momenti esse, nec re-
 futatione quidem digna putas, tot illa *genuinæ*
vetustatis monumenta, tot antiquas inscriptiones,
 quæ plurima nobis *Medicorum Servorum* nomina
 ad hæc usque tempora conservant? numve illa
 omnia minus propterea Auctoritatis apud lectores
 habitura existimas, quod ad ea Tu ne verbum
 quidem unum respondere fueris dignatus?

Pergit tamen more suo, *Vir egregius, ad*
aliam, uti ait [d], Middletoni calumniam refel-
lendam, qui negat, Medicinam inter liberales ar-
tes apud Romanos haberi: ad Middletonum igi-
 tur redarguendum loca quædam è *Jure Civili*
 profert, quæ probant, non id quidem ullo
 modo quod oportuit, *Medicinam* scilicet in *Ar-*
tibus Liberalibus numerari; sed illud solum-

[b] Not. br. p. 19;

[c] Ib. p. 23.

[d] Ib. p. 20.

modo, quod omnes scimus, & concedimus, videlicet, *Medendi Artem* juxta ac *Artes Liberales* immunitatibus & privilegiis ab *Imperatoribus* tandem auctam & munitam fuisse. Atque hæc dum scribit, videt ille quidem, quam nihil prorsus ad suam causam pertineant, & fateri aperte cogitur, *Artem Medicam* [a] a reliquis *Artibus Liberalibus* quodammodo segregari & distingui; eamque apud *Veteres* non tam in studiis liberalibus, quæ ab ingenuis colebantur, quam in *Artibus necessariis* haberi: quis autem hominem unquam tam petulantem, tamque absurdum simul vidit; qui argumenti sui initio *Middletoni calumniam* id esse dicit, quod antequam locum ipsum dimittat, *verum* omnino esse agnoscit? nec quicquam fane hoc in loco acutius meliusve sese gessit *Responsionis Auctor*, sed eadem fere omnia protulit; & postquam contra sententiam meam, idque multis quidem verbis, disputaverit; fatetur tandem per *Artes Liberales* eas præcipue ab *Auctoribus* intelligi, quibus *ingenui pueri in scholis institui solebant*; nec nisi posterioribus seculis *Jurisconsultos tam lato sensu Liberales Artes accepisse, ut Medicinam quoque eo nomine completerentur* [b]. Sed de hoc omni *Artium Liberalium* genere alium mox dicendi locum, atque eum magis quidem opportunum, habebimus; cum *Rhetorem nostrum* in *Cicerone* ad suam hac in re sententiam interpretando, turpiter lapsum demonstrabimus.

[a] Not. br. p. 22.

[b] Resp. p. 74.

Annotator autem interea, tanquam Victor e certamine rediens, triumphum plane agere, & *Middletonum* currum suum sequentem, catenisque vinctum *Medicis suis* ostentare sibi videtur. *Jam satis demonstratum*, exclamat, *quàm futilia atque etiam falsa pro gravibus & certissimis argumentis habuerit Middletonus*; *quàmque facillè refutentur ea, quæ in Medicos tanto studio congescit. Etenim testimonia ejus præcipua, vel Clinicos quos deprimere tantopere studet, minime attingentia, vel omnino per incuriam depravata, per malitiamve ficta, vel denique Veterum testimoniis certissimis contraria deprehendistis* [a]. Hujusmodi autem exclamationibus, haud sane expectandum erit, ut quidquam omnino respondeam; cum nihil certe aliud requiritur ad vanitatem hominis ostendendam, quam ipsius verba referre atque exponere, si autem inventi aliqui sint, istiusmodi ingenii homines, qui ejus vel *disputandi acumen* vel *scribendi stilum* probare possunt; siqui, inquam, sint, qui *Notis hisce brevibus* eum quidquam prorsus aliud demonstrasse credant, ac suam ipsius ignorantiam, temeritatem, malevolentiam; istiusmodi certe hominibus ego nec satisfacere curo, nec mea omnino placere cupio.

Me tamen *homo facetus* deridendum [b] proponit, propterea quod *Græci Tragici* versiculo *Romanorum hominum* consuetudinem quandam demonstrare essem aggressus: de *Servis scilicet*

[a] Not. br. p. 23.

[b] Ib. p. 24.

ab iis studiis atque Artibus quibus ipsi delibabantur, lege arcendis: nonne verò Romani etiam Poetæ testimonium ad rem eandem confirmandam adjeci? idque nonne omnium recte ac dilucide disputantium est, quam rem susceperint probandam, eam rem primùm universè veram, aliarumque gentium notionibus consentaneam, deinde apud eos homines præcipue de quibus quæstio instituitur, in usu fuisse ostendere? Sed Annotatori hic quoque subsidio venit Responsionis Auctoris, & Terentium, quo auctore usus essem, ad Atticorum solummodo, non ad Romanorum mores respicere affirmat [a]: quasi non perinde ac in Græcia, ita Romæ etiam eandem legem obtinuisse constaret; ubi Servos non a causis modo orandis, sed vel a testimonio dicendo prohibitos cognovimus. Sed de objectionis hujus futilitate pluribus mox disputabimus, cum illuc pervenerimus, ubi Plauti etiam in re consimili testimonium Auctorem nostrum rejicere cernemus.

Dixeram autem in *Dissertatione meâ*, nullam per aliquod secula de Medicinâ, tanquam de re humili nimis atque abjecta, a Scriptoribus Romanis mentionem fieri: atque alio loco; Græculos eos, qui Romam sese Medicinæ exercendæ causâ contulissent, etsi liberos quidem nonnullos fuisse concedamus, generatim tamen humilis seu potius infimæ sortis homines fuisse. Id homini stomachum

[a] Resp p. 60.

movere video ; quæritque a me, *quonam Scriptorum Veterum testimonio, id mihi affirmandum sumam, idque nullo prorsus Auctore, sed ex propriâ scientiâ me posuisse dicit : mihi autem fidem non habendam, quippe qui dudum mala fide egerim [a].* Quasi id omnino testimoniis egeret, quod per se clarum & perspicuum esset ; quasi, inquam, non sensus communis omnes præter hunc unum docuisset ; *de qua scilicet re monumenta plane omnia silent ; nec Historici mentionem ullam faciunt, eam rem aut omnino non existisse, aut nihil saltem celebratione seu memoria dignum suspeditasse.*

Atque idem etiam hoc in loco *Responsionis Auctor* a me quærit, *quo scilicet argumento Medicos hosce liberos, humilis atque abjectæ conditionis fuisse demonstrarem [b].* Illud vero nonne per se quoque æque perspicuum est ? nonne id, inquam, ratio sensusque communis evincunt, homines illos, qui *quæstus victusque quærendi causâ, de patria sua in alienam migrant, humilis seu infimæ potius sortis maximam partem esse ? num divites, num beati, num famâ atque opibus florentes natale solum exilio mutare solent, ut lucrum sibi apud exterarum gentes non sine probro atque odio conficiant ? num Græci præcipuè hoc omnino facere voluerint, qui omnium longè maximè patriam cum suam amaverint, tum alienas contempserint ? etsi verò me nullius om-*

[a] Not. br. p. 25.

[b] Resp. p. 62.

nino Auctoris sententiam ne detortam quidem
 sistamvè ad opinionem meam confirmandam protu-
 lisse Annotator affirmat [a]; nonne Plutarchi
 tamen [b] verbis clarissimis ostenderam, totam
 Græcorum gentem odio & contemptui Romanis
 fuisse, ipsunque nomen Græcus a plebe sem-
 per in ore convitii loco haberi & jactitari
 solere?

Sed quid hoc ad Medicorum conditionem Re-
 sponſionis auctoꝝ ait, si mos esset Romanæ plebe-
 culæ, Græcorum gentem ita tractare [c]? Tu
 verò cum Medicos tuos & Græcos & Romæ
 tamen honoratos & splendidos tuisse disputas;
 nonne contra sententiam tuam vim aliquam
 habere videtur, quòd ostenderam, Græcos plane
 omnes, qualiscunque fuerint Artis aut condi-
 tionis, Romæ non nisi in probro & dedecore ver-
 fari: & quam aliam ob causam hoc fieri putan-
 dum est, nisi quod id hominum genus egenum,
 fordidum, efuriens, *populus Romanus* semper
 cognovisset. Num cuiquam igitur præter au-
 ctoreſ nostros verisimile videri potest, *Principes*
Græcorum Medicos, gratiâ apud suos & dignitate
 florentes, atque *amplissima fortuna usos*, Romam
 quæstûs causâ migrare velle, ut tam iniquâ con-
 ditione viverent, ut sibilis & contumeliis a plebe
 exciperentur?

[a] Not. br. p. 25.

[b] Dissert. p. 9.

[c] Resp. p. 63.

Annotator autem, postquam in sententia mea refutandâ tantum frustra laboris consumpserit; videt tandem atque apertè fatetur, hanc meam disputationem non modo *dedecoris nihil*, sed *laudem* potiùs & *gloriam Arti Medicæ* afferre, quæ *Professores suos ex ignobili illo servitutis statu, ad libertatem sæpiissime atque honores evehere soleret* [a]. In quo tandem uno utrique facilè consentimus; etenim hunc ego honorem nec *Medendi Arti* invideo, nec quicquam contra disputare aggrediar: vellem solummodo, hoc idem initio homo vidisset; nec sibi quidem tam turpiter scribendi infamiam, nec mihi tam ridiculi hominis castigandi fastidium peperisset: quippe non odium certe aut reprehensio ulla, sed gratiæ mihi potiùs a *Medicis* debentur, qui eam causam defenderim ac probarim, quam *Arti suæ* honorem laudemque adungere farentur.

Sed *ab ipso Cicerone jamdudum*, inquit [b], *dijudicata est hæc controversia, locusque suus Medicinæ tributus, neque primus is quidem neque secundus, at medius certe, &c. tantum rogo ut sententiam ipsam, non ut apud Middletonum discernitur sed integram legere dignemini, &c.* Oh hominem omnium sane sagacissimum! qui inter *Primum & Secundum, Medium* quiddam Princeps invenerit! Egonè verò *Ciceronis lo-*

[a] Not. br. p. 26.

[b] Ibid. p. 26.

cum illum ducerpsi, qui omnia quæ ad quæ-
 stionem nostram pertinerent, integrè quidem
 ipsissimisque ejus verbis protuleram? quippe
 cum de *Medicina sola* hæc omnis disputatio
 institueretur, quid mihi cum reliquis *iis Arti-*
ficiis, a *Ciccone* enumeratis; *Coquis*, *Mercato-*
ribus, *Agricolis*, &c. rei esset planè non vide-
 bam. Ille verò postquam hæc omnia in *Notas*
suas breves integra transtulerit; *habetis hic*,
 inquit, *plenam atque apertam Ciceronis senten-*
tiam, quam filii instituendi gratiâ posuit, &c.
 existimat forsitan *Vir bonus*, hæc ad *Filium*
 ideo scripssisse *Ciceronem*, ut artem aliquam
 ex ibi memoratis, *Medicinam* scilicet seu *Mer-*
caturam adolescens sibi exercendam deligeret:
 sed optimo, fateor, consilio, longam hanc *Ci-*
ceronis periodum, etsi nihil quidem ad rem
 spectantem, huc tamen integram traduxerit,
 ut *sensus* tandem aliquis atque *Oratio pura*, quæ
 in reliquo suo opere requiruntur, in *tribus saltè*
pagellis hisce reperirentur.

Ciceronem autem quandoquidem is appel-
 lat, cujus quidem Auctoritate nihil mihi sanc-
 tius esse potest, eum nobis Judicem consti-
 tuamus: atque omiſſis iis, quæ de *cæteris*,
 ut dixi, *artibus*, nihil ad nos pertinentibus,
 hoc in loco differat; *Medicinæ* solummodò
 quem locum gradumve assignet unicè confi-
 deremus: *quibus autem Artibus*, inquit Cicero,
aut prudentia major inest, aut non mediocris
utilitas, ut Medicina, &c. hæc sunt iis, quo-

Dissertationis de Medicorum Romæ Degentium
rum Ordini conveniunt, honeste. Hic vero
 quantum, *Dii boni*, eruditionis, quantum doc-
 trinæ reconditoris *homo noster* ostentat? etenim
Asconium Pedianum, Manutiosque ambos [a],
Paullum atque Aldum testes adhibet, Vocem
 eam, *ORDO*, dignitatis alicujus significatio-
 nem continere; atque ad *Senatum, Equitesque*
 ad minimum, ad *plebem* vero nullo modo re-
 ferri oportere: *Servorum* vero & *Libertino-*
rum non *Ordinem* sed *conditionem* dici solere:
 atque eum hac saltem vice felicem fateamur
 necesse est, quod magnorum tandem nominum
 auctoritate nugari sibi contigit. Hoc autem
 omne quod tam erudite differuit, si aliàs verum
 interdum esse concedamus; nonne videt tamen
Vir egregius quàm hoc in loco non solum
Ciceronis sed *sue* etiam *ipsius* sententiæ con-
 tradicat; etenim num nobis hac suâ erudi-
 tione persuadere vellet, *medendi Artem*, iis
 temporibus *Senatorio* seu *Equestri* saltem *Or-*
dini fuisse honestam? at nemo unquam tam
 temerarius fuit ut id diceret: neque is ipse
ea audacia, eoque Artis amore id quidem vel
 mustitare audet; sed aperte fatetur, nec *Pri-*
imum nec *Secundum* dignitatis gradum ad *Me-*
dicos pertinere, sed *Medium*, ut supra dixi,
nescio quem. Sicut autem nec *Senatorem* nec
Equitem unquam temporibus illis *Medicinam*
 exercuisse certissimum est; ita nec *de plebe*
magis aliquem nec *Civem omnino ullum* eam

[a] Not. br. p. 28.

attigisse contendo: neque illi omnes, qui hanc sententiam impugnaverint, vel *unum* quidem *hominem Romanum*, qui *Medicinam*, ante *Cæsarum ætatem*, fuerit professus, ostendere unquam potuerint; quod quidem vel *Responsionis Auctor* fateri plane cogitur, nec *ullum ante eam ætatem de Romanis Medicum* extitisse concedit [b]: itaque quid nobis aliud relictum est hominum genus, de quo *Cicero* loqui intelligatur, cuive *Vox illa*, *ORDINI* applicetur, quàm, quem ipse dixeram, *Servorum, Libertorum & Peregrinorum Ordo*?

Vides jam, opinor, non temere me ac fortuito, sed re prius perpensâ & consideratâ, ad *Ciceronem interpretandum* accessisse: Vides, inquam, istam tuam eruditionem, etiamsi vera nonnunquam esset, in hac tamen causâ nec locum ullum habere, nec lucis quicquam afferre: sed quid tandem dices, si *futilem, falsamque eam* prorsus esse ostendero? etenim ex multis *Scriptorum Veterum* locis probare facile possum, *Vocem* mea, *ORDO*, apud *optimos Latinatis Auctores* nihil aliud significare, ac *certum quodlibet hominum genus, communi aliqua vitæ sorte, vel abjecta atque infima* utentium.

Conveni *hodie hominem mei loci atque Ordinis* [c].

[b] Resp. p. 164. it. p. 220.

[c] Ter. Eun. 2. 2.

Nonne hoc de homine squallido & miserimo à *Gnathone Parasito* dicitur? *Ciceronem* etiam ipsum, quem nobis *judicem* constituiti, hanc eandem vocem non *Senatui* modo *Equitibusve*, sed *Plebi* quoque sæpissime & *Libertinis interdum ipsis*, abjectæque fortis hominibus, *Apparitoribus & Scribis* [a] applicare memini. Item in *Inscriptione* quâdam *Sepulchrali* mulier de marito loquens.

Qui me ab imo Ordine ad summum perduxit honorem [b].

Homo autem *noster*, qui *Autorum verba discerpenti* atque *aliena adtexendi* crimen mihi objicit, videamus jam qualem tandem ex hoc omni *Ciceronis* loco sententiam extorserit. *Uti que buc tandem*, inquit, *res redit*. MARCUS TULLIUS CICERO AIT, MEDICINÆ PROFESSIONEM, HONESTO CIVIUM ORDINI DECORAM ESSE; CONYERS MIDDLETON NEGAT; EAMQUE ESSE SORDIDAM, ILLIBERALEM, CIVE PRORSUS INDIGNAM AFFIRMAT; UTRI CREDITIS QUIRITES [c]:

Quis jam non summam *hominis* vel *insci-*

[a] In *Pison.* 8. In *Catal.* 4. 8. In *Verr.* 1. 47. In *Verr.* 3. 78.

[b] *Gruter.* p. 353.

[c] *Not. br.* p. 29.

tiam, vel temeritatem, vel utrumque potius admirabitur, qui hunc locum aut tam parùm intellexerit, aut tam foedè corruerit? ille tamen, quasi impudentia gloriaretur, hoc *ingenii sui commentum*, tanquam *legis*, aut *Senatus Consulti* vim obtineret, *litteris majusculis* describendum curavit. At in hoc omni *Cicéronis* loco, num de *ullo omnino Civium Ordine*, nedum *honesto aliquo*, verbum quidem unum reperitur? num *Medicinæ professio*, *Romanis omnino hominibus* convenire dicitur? nihil certè minùs: nec quicquam sanè aliud, ex verbis ipsis elici aut intelligi potest, ac *Artes eas humiliores*, isti hominum generi, cui propter *vite sortem* convenirent, laudem quandam & decus afferre; quod de *Servis, Libertis, & Peregrinis* prorsus accipiendum esse abundè demonstravi.

Sed quoniam *Cicronem* appellavimus; quid de verbis istis existimandum putas, ubi is *ingenii nihil ex Officina prodire posse affirmat*? nonne id *Medicos* aliquo modo attingere credis, quos omnes *Officinas suas* habuisse notissimum est? de illo *idem* altero, quem tu *verissimum esse* dicis, quid cogitas? scilicet, *Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria, jacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur* [a]. Etenim si quod omnes plane fatentur, nec honores ulli *Medendi Arti-*

[a] Not. br. p. 31.

Dissertationis de Medicorum Romæ Degentium constituti, nec ad studium ejus promovendum gloria ulla ante Cæsarum ætatem fuerit unquam proposita; tum, Cicerone ipso judice, jacuisse eam ac contemptam prorsus fuisse necesse est.

Sed ad *Responsionis jam Auctorem* nosmet convertere necesse est, qui hunc itidem Ciceronis locum in librum suum idcirco transtulit, ut me non minus, uti ait [a], *In Ciceronis ac in Plinii ante verbis exponendis lapsus ostendat*: in hoc autem loco interpretando, quod vix fieri posse credideram, vel *Annotatore ipso* stultiorem sese longe ac leviolem præbuit: disputat enim *Vir Eruditus*, Ciceronem ibi de pervulgata ea *Artium partitione*, in LIBERALES proprie ita dictas, seu INGENUAS, ut Cicero eas alibi vocat, ac ILLIBERALES seu SORDIDAS tractare proposuisse [b]: atque hanc *Artium divisionem tam clare & aperte exposuisse ut mirum profecto videatur, eam quemquam effugere potuisse* [c]: a Sordidis autem Cicero-

[a] Resp. p. 53.

[b] Ib. p. 54. it. 74.

[c] Ib. 57. ut clariùs, quod disputemus intelligatur, verba ipsa Ciceronis huc etiam apponenda duxi — Jam de Artificiis & quæstibus, qui liberales habendi, qui sordidi sint, hæc fere accepimus: primum improbantur ij quæstus, qui in odia hominum incurrunt, ut Portitorum & Fœneratorum. Illiberales autem & sordidi quæstus mercenariorum omnium, quorum operæ non quorum artes emuntur; est enim illis ipsa merces tractoramentum servitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur

Ciceronem incipere, easque omnes percurrere dicit, usque ad *Saltatores*, totumque ludum *talarium*; deinde quo res tota explicatior fieret, non *Ciceronis* sed sua quædam verba homo acutus interponit; [*hætenus de Sordidis, jam ad liberales venimus*] reliquasque deinceps ibi enumeratas *liberalium* in numero *Ciceronis auctoritate* habendas affirmat; videlicet *Medicinam*; *Architecturam*; *Doctrinam rerum honestarum*; *Mercaturam*; *Agriculturam*.

mercantur a mercatoribus, quod statim vendant, nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur: nec vero quicquam est turpius vanitate. Opificesque omnes in fordida arte versantur. Nec vero quidquam ingenuum potest habere officina. Minimeque Artes probandæ, quæ ministræ sunt voluptatum; cetarii, lanii, coqui, factores, piscatores, ut ait Terentius. Adde his, si placet, unguentarios, saltatores, totumque ludum talarium. HAC-TENUS DE SORDIDIS: JAM AD LIBERALES VENIMUS. Quibus autem Artibus aut prudentia major inest, aut non mediocris Utilitas quæritur, ut Medicina, ut Architectura, ut Doctrina rerum honestarum; hæ sunt eis, quorum ordini conveniunt, honestæ. Mercatura autem, si tenuis est, fordida putanda est; si magna & copiosa, multa undique apportans, multifque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda; atque etiam, si fatiata quæstu, vel contenta potius, ut sæpe ex alto in portum, ex ipso portu se in agros, possessionesque contulerit, videtur optimo jure posse laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est Agriculturâ melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius. Cic. de Off. l. 1. 42.

Quis autem, si *Diis placet*, tam ridiculum unquam *Artium Liberalium* catalogum antea vidit? quis præter *Auctorem nostrum* ejusmodi illarum *Corpus quoddam* effingere potuit; de quibus ne unam quidem in *Liberalibus* unquam haberi reperimus? Artes enim istæ modò memoratæ, si in *Liberalibus* habendæ sunt, tunc *Ars illa Agricolæ* omnium longe *liberalissima* esset, utpote omnium maxime hoc in loco laudata, liberitque hominibus commendata: quod quidem homo noster fatetur, *eamque ex omnibus speciatim seu præcipue liberalem esse* dicit [a]. Sed tantum abfuit, ut *Agriculturam* Cicero unquam in *Artium Liberalium* numero ponendam existimaret, ut eam ipsam, tanquam *ab omni politiori elegantia abhorrentem, ab Artibus ingenuis ac elegantibus* quàm longissime sejungat [b].

Instat autem *Responsionis Auctor, & Medicinam cum Doctrina rerum honestarum* hoc in loco conjungi dicit, nec me tam temerarium fore credit, ut *doctrinam rerum honestarum Servis* convenire posse contendam [c]: at quicquid ille contra disputet, contendam tamen, vel *eam quoque Servis* competere posse. Quid enim aliud per *doctrinam rerum honestarum* intelligi poterit, ac *munus ipsum, professioque*

[a] Resp. p. 54.

[b] Cic. de Fin. l. 3.

[c] Resp. p. 57.

res honestas docendi? at harum plerumque doctores, *Rhetores* scilicet, *Grammaticos*, *Pedagogos*, ex *Servorum* grege fuisse cognovimus: quamvis enim *res ipsæ*, quas docebant, *honestæ* & *liberales* censentur, docendi tamen munus Romæ saltem haud ullo fere in honore fuisse accepimus.

Ut hominis autem nostri inscitia clariùs appareat; loci hujus sententiam tandem veram, sensumque paucis exquiramus. Atque id primum de *Artium Liberalium notione* sciendum est; illas solummodo in earum numero a Veteribus censeri; non quæ *viæ quærendi*, *lucrive faciendi* causa, sed *animi erudiendi*, *delectandive* gratia excolebantur; atque ex quibus non *quæstus aliquis*, *Utilitasve ad vitam necessaria*, sed *libera quædam animi oblectatio* quærebatur. Quam quidem earum veram propriamque esse definitionem arbitror: & quoties de *quæstuosis illis* aliquas, *minusve ingenuis*, *Liberales* tamen aliquando dici reperiamus, id nonnisi *improprio vocis usu*, & *laxiori quodam sensu* accipiendum, atque, uti hoc in loco, haud aliud indicare intelligendum est, ac ejusmodi *Artes* a *probrosis* & *turpibus* distingui, atque isti hominum generi, *cui convenient*, honestas esse.

Hoc igitur loco *Cicronem*, uti primo plane aspectu perspicuum est, de *Artibus revera* & *proprie liberalibus* nec verbum quidem ullum fecisse, nec omnino cogitasse dico: differit solummodo

lummodo de *Artificiis* seu *quæstibus* istis, unde *lucrum conficiebatur*, atque *aliquid adquiribatur*: *sordidas* primum enumerat, easque omnes, quæ nonnisi cum probro, ac turpitudine quadam conjunctæ videntur; deinde ad *honestiores* progreditur; *Medicinam, Architecturam, &c.* quas *Ordini, cui conveniant*, non probrum aliquod, sed decus potius, laudemque afferre significat; & concludit denique; *omnium autem rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil esse Agricultura melius, uberius, dulcius, nec libero homine dignius.* Videmus jam, opinor, quo sensu *Agriculturam* tantopere laudet; non ut *Artem liberalem, aut ingenuam*, sed de *quæstibus istis* solummodo, ex quibus *aliquid acquiritur*, optimam & homine libero dignissimam.

Artes autem, ut supra dixi, *liberales* a toto illo *genere quæstuoso* sejunctas semper esse notissimum est, eoque *liberaliores* haberi, quo a *quæstu & lucro omni* remotiores essent: quod quidem, cum ex multis *ipsius Ciceronis* locis demonstrari potest, tum ex eo potissimum, ubi ex *Pythagoræ* sententia, vitam hominum mercatus cujusdam celebritati comparari ait [a]. *In quem, uti alii emendi aut vendendi quæstu & lucro ducerentur, alii vero, iique vel maximè ingenui, nullum lucrum quærerent, sed visendi solummodo causa venirent, studioseque perspice-*

[a] Tusc. qu. 1. 5. 3.

rent, quid ageretur ; sic in vita & studiis hominum accidere solere disputat : nam ut illic liberalissimum esset spectare nihil sibi acquirentem ; sic in vita, ea longè studia excellere, cæterisque omnibus præstare, quæ nulla quæstus aut pecunie spe proposita, in rerum cognitione & contemplatione versabantur. Atque hinc jam quis facile judicabit, quanti *Rhetor noster* ingenii fuerit ; quàm in Veterum scriptis evolvendis diligens : quam in interpretandis acutus ; quamque ad Eruditorum controversias dijudicandas instructus accesserit ; quàm denique verum vel nunc etiam illud ipsum sit, quod *Cicronem* alicubi indicasse memini ; nihil scilicet magni aut solidi unquam ex *Rhetorum Officinis*, sed *Academice solummodo spatiis* extitisse.

Sed ad *Annotatorem* tandem nostrum revertamur, qui hac sua velitatione quasi defatigatus, nec in aciem ipsam dimicationem descendere ausus, receptui canere incipit, & dimittamus jam, inquit, *Theologum undique doctissimum ; reliqua persequantur ii, quibus otium est, qui que fuerint diutius in Antiquitatis cognitione versati* [a]. Quorum alterum, Præclare Annotator, Tibi facile concedam, *Antiquitatis* scilicet *cognitione* Te ab aliis certe quibusvis superari ; alterum vero nunquam Tibi dabo ; otio quemvis alium plus Teipso abundare : qua enim in re Te tantopere occupatum existimare possumus ?

[a] Not. br. p. 30.

num literarum studiis? at egregium hocce cupusculum tuum nos id omnino putare vetat; Teque in bonis literis, bonisque artibus hospitem esse declarat. Num professionis tuæ muniis, ægrifve obeundis? at quisquam tam vitæ prodigus invenitur, qui Tibi ea ignorantia simul ac temeritate valetudinem suam committere audeat? Sed singularem hominis modestiam hic etiam obiter notare libet. Quippe is, *occupationibus* licet distentus, nec in *Antiquitatis cognitione* versatus, mea tamen omnia, quæ *præcipua tibi visa* sunt, sibi ipsi refutanda atque evertenda suscepit; reliqua vero, quæ ne *minimi quidem momenti, nec refutatione digna* pronuntiat [a], iis tamen persequenda relinquit, qui *otio abundant, qui rerum antiquarum scientia* excellunt.

Ut verò cum primis, ultima tandem consentiant; cum nihil aliud *Notæ hæc breves* ac summam hominis malevolentiam, cum pari sanè stultitiâ conjunctam ostenderint; *velim autem*, inquit [b], *existimet Vir Eruditus, ea quæ à me contra ejus sententiam libere dicta sunt; non esse eo animo dicta, quod aliquam in illum contumeliam jacere cuperem, sed quia veritatem, quæ ab ipso obscurata quidem est, quantum potui patefacere studerem.* Tu vero, num vel unam demum nobis veritatem patefecisti? numvè unam aliquam calumniandi occasionem prætermisisti? quippe ea,

[a] Not. br. p. 23.

[b] Not. br. p. 31.

Vir probe, annon contumelia est; Theologiæ Professorem, Mendacem, Malevolum, Calumniatorem ubique appellare? annon id, inquam, quàm maximè contumeliosum; hominem liberalitèr educatum insimulare; quòd falsitate alios circumvenire studeat [a]; quod de locis ex auctoribus citatis, nonnulla audacèr mutaverit [b]; alia malitiose confinxerit [c]; aliis verba aliena adtexerit, quo fucum faceret [d]; quod de veritate nihil sit sollicitus, dummodo convitii aliquid congerat [e]; quod fide nullà dignus sit, propterea quod mala fide egerit [f]. Quippe hujus generis omnia, si vera prorsus essent, parcius tamen objici, nec tam apertè dici solent; cum autem sint falsissima, & tam libere tamen profundantur, non verbis solummodo & disputatione castigari, sed legibus pœnitique potius coerceri merentur.

[a] Ib. 19.

[b] Ibid.

[c] Ib. 23.

[d] Ib. 18.

[e] Ib. 13.

[f] Ib. 24.

A
T R E A T I S E
O N T H E
R O M A N S E N A T E.

In T W O P A R T S.

The F I R S T P A R T contains,

The substance of several letters, formerly written to the late Lord HERVEY, concerning the manner of creating SENATORS, and filling up the vacancies of that body in OLD ROME.

The S E C O N D P A R T, which is now added, contains a distinct account,

- I. Of the power and jurisdiction of the SENATE.
- II. Of the right and manner of convoking it.
- III. Of the places, in which it was usually assembled.
- IV. Of the legal times of holding their assemblies.
- V. Of the different ranks and orders of men in the SENATE, and of the forms observed in their deliberations.
- VI. Of the nature and force of their decrees.
- VII. Of the peculiar dignity, honors, and ornaments of a ROMAN SENATOR.

A
T R E A T I S E
O N T H E
R O M A N S E N A T E.

P A R T the F I R S T.

THE late Lord *Hervey*, who had long honored me with very distinguishing marks of his friendship, took occasion in one of his letters, about twelve years ago, to ask my opinion, on two or three points, relating to *Classical antiquity*, and especially, *on the manner of creating Senators, and filling up the vacancies of the Senate in Old Rome*; on which *M. Vertot's* answer to the same question, when it was proposed to him by the late *Earl Stanbope*, had not given him satisfaction.

In compliance therefore with his Lordship's request, I presently sent him my thoughts, on the other points, above intimated; and, in a separate letter, endeavoured to explain the state of the *Roman Senate*, from that time, in which the commons of *Rome* first opened their way to the public honors of the city, till the final oppression of their liberty, which I observed to be the period, to which *Earl Stanbope's* question was particularly referred.

But my short account of the matter did not answer the purpose of Lord *Hervey's* inquiry, nor solve the particular difficulties, which seemed to him to perplex it. He resolved, therefore, to take the pains of searching into it himself, and of tracing out the origin, and progress of the Senate, from its first institution by *Romulus*, down to the reign of *Augustus*: the result of which was, that his opinion at last happened to differ from mine, which he explained with great eloquence, and enforced with great learning, drawn from the principal writers on the *Roman* affairs, both *Greek* and *Latin*.

Here then was a controversy, unexpectedly started between us, and several letters exchanged upon it. And I could heartily wish, that all controversies of the same kind, were carried on with the same spirit. For though each of us espoused a different hypothesis, from which neither at last seemed willing to depart, yet this adherence to our several opinions, gave not the least shock to our friendship, but rendered it more agreeable still on both sides, as being grounded on that ingenuous freedom and indulgence to each other's way of thinking, without which, no friendship can either be valuable or lasting.

As the subject of these papers has not been professedly treated, by any of the Ancients; nor, in my opinion, sufficiently explained, by any of the moderns, so I flatter myself, that the publication of what I had collected upon it,

in

in the defence of the first hypothesis, may be of some little use or entertainment to the curious: as it exhibits a more distinct idea, than will easily be found elsewhere, of the genius of the *Roman* government in general, as well as a more precise illustration of the constitution of the *Roman* Senate, which may be called, *the soul or vital principle* of that mighty republic [1], and what gave birth and motion, to all those celebrated acts, which were successively produced in it.

In answer therefore to the question above-mentioned, concerning *the right and manner of creating Senators*, and filling up the vacancies of that body, I sent my Lord *Hervey* the following letter,

MY LORD,

April 1, 1735.

I WISH, that it were in my power to give your Lordship any satisfaction, on this or any other occasion, where you can possibly want it; which as I endeavoured in my last letter, upon a question of a different kind, so I shall attempt again in this, on the subject of the *Roman* Senate, where I fancy myself perhaps more capable, as well as the argument more worthy of your Lordship's inquiry. I am ashamed to confess, that when I received the honor of your Lordship's, I had not read Mr. *Vertot's* answer to Earl *Stanhope*; but I have since procured it, in

[1] Ἐοικέναι τε τῷ καθ' ἑνα βελῆς· σώματι δὲ, τὸ τῷ δήμῳ.
τὸ κοινὸν ἔφη· ψυχῆς μὲν γὰρ
ἐπὶ δὲ ἀγαθῶν ἐχέσκει τὸ τῆς
Dionysf. Hal. v. 67. Edit.
Oxon.

order to see distinctly, what it was, that could remain still obscure to you, in a question, which had been treated by so able a master, and which of itself had appeared always to me to be sufficiently clear. I shall not trouble your Lordship with my particular exceptions to the account of that learned Antiquary, but give you only in short, my own sentiments on the same subject, drawn, as I imagine, from evident and authentic testimonies of the ancient writers.

From the time, that the Plebeians had opened themselves a way to the first honors of the state, the constant and regular supply of the Senate was from the annual magistrates; who by virtue of their several offices acquired an immediate right to sit and vote in that assembly. The usual gradation of these offices, was that of *Quæstor*, *Tribune of the people*, *Ædile*, *Prætor*, and *Consul*; which every candidate, in the ordinary forms of the constitution, was obliged to take in their order, with this exception only, that he might forego either the Tribunate or the Ædileship at his own choice, without a necessity of passing through them both. The Quæstorship was called the first step of honor; and the Quæstors, who were generally employed in the provinces abroad, assigned to them severally by lot, no sooner returned from their provincial administration, then they took their places in the Senate, and from that time forward, from the rank of Equestrians, or what we commonly call Knights, became Senators for life.

All

All these magistrates were elected by the people in their public assemblies, promiscuously and indifferently from the whole body of the citizens; which explains what *Cicero* frequently declares in different parts of his works, “ That
 “ the senatorian dignity was conferred by the
 “ suffrage and judgement of the whole Roman
 “ people; and that an access to the supreme
 “ council of the republic was laid open to the
 “ virtue and industry of every private citi-
 “ zen [1].”

But though these offices gave both an immediate right and actual entrance into the Senate, yet the senatorian character was not esteemed complete, till the new Senators had been enrolled by the Censors, at the next *Lustrum*, or general review of all the orders of the city, which was generally held every five years. Yet this enrollment was but a matter of form, which could not be denied to any of them, except for some legal incapacity, or the notoriety of some crime, or infamy upon their characters; for which, the same Censors could ex-

[1] Qui cum regum potestatem non tulissent, ita magistratus annuos creaverunt, ut concilium Senatus recip. proponerent sempiternum; deligerentur autem in id consilium ab universo populo, aditusque in illum summum ordinem omnium civium industriae ac virtuti pateret. Cic. pro Sext. 65.

Si populum Romanum, cujus honoribus in amplissimo concilio collocati sumus. Post red. in Sen. 1.

In eo loco, in quo me honores populi Romani collocaverunt. Pro Dom. 31.

Cujus beneficio in hunc ordinem venimus. In Verr. iv. 11.

pel or deprive any other Senator, of what rank or standing he ever. It was one part likewise of the censorian jurisdiction, to fill up the vacancies of the Senate, upon any remarkable deficiency in their number, with new members from the equestrian order, who had not yet born any magistracy : but this was not done arbitrarily, or without the consent and approbation of the people. For by observing the manner of proceeding on some extraordinary occasions, we may collect the legal and regular method in ordinary cases. For example, after the battle of *Cannæ*, the Senate being greatly exhausted, and no Censors in office, a Dictator was created for the single purpose of filling up the vacancies : who presently ascended the *Rostra*, and in the presence of the people, assembled in the *Forum*, ordered all those, who remained alive of the last censorian list, to be first called, and enrolled anew ; then those, who since that time had born a curule magistracy, but had not been enrolled, each according to the order of his creation ; then those, who had been *Ædiles*, *Tribunes of the people*, or *Quæstors* ; and lastly, those of the equestrian rank, who had born no magistracy at all, but had signalized themselves in the war, and taken spoils from the enemy : and having thus added one hundred and seventy seven new Senators to the last roll, with the universal approbation of the people, he laid down his office [1]. Upon another occasion likewise, when

[1] Liv. l. xxiii. 23.

Sylla, the Dictator, after the destruction made by his civil wars and proscriptions, found it necessary to fill up the exhausted Senate with three hundred Knights, he gave the choice of them to the people in an assembly of their tribes [1].

The power of the Censors, being naturally odious and unpopular, was generally exercised with temper and caution, unless when an extraordinary licence and corruption of the times seemed to demand a particular severity and enforcement of discipline. The censures however of these magistrates were not perpetual or irreversible, nor considered as bars to any future advancement: for what was inflicted by one Censor, was sometimes reversed by the other; and what was done by them both, by an appeal to the people; or by the succeeding Censors; who commonly restored the disgraced party to his former dignity; or else by obtaining, a second time, any of the magistracies above-mentioned, the person so disgraced entered again into the Senate, and was enrolled of course by the next Censors. Thus we find some, who had suffered the censorian note of infamy, chosen Censors afterwards themselves [2]; and *C. An-*

[1] App. de Bell. civ. l. i. p. 413.

[2] Ponam illud unum: *C. Getam*, cum a *L. Metello* & *Cn. Domitio* censoribus e senatu ejectus esset, censorem ipsum postea esse factum—
Quos autem *L. Gellius* &

Cn. Lentulus, duo censores, furti & captarum pecuniarum notaverunt, ii non modo in senatum redierunt, sed etiam illarum ipsarum rerum iudiciis absoluti sunt. *Cic. pro Cluent.* 42.

Censores denique ipsi facti—
- *tonius*,

tonius, who was *Cicero's* colleague in the Consulship, had been expelled the Senate for his vices, about six years before ; and *Lentulus* also, who was expelled even after he had been Consul, was restored to the Senate by obtaining the Prætorship a second time after that disgrace ; in which office he was put to death by *Cicero*, for conspiring with *Catiline* against the public liberty [1].

Thus, as it is evident from unquestionable authorities, the legal and ordinary source, by which the vacancies of the Senate were supplied, was from the annual magistrates, chosen by the people : a method of supply, of all others the best adapted to support the dignity, as well as to fill up the number of that august body ; which could never be remarkably deficient, but by the uncommon accidents of war, or pestilence, or proscriptions of the nobility : on which occasions, those deficiencies were supplied, either by the extraordinary power of a Dictator, created for that purpose, or the ordinary power of the

penumero superiorum censorum judiciis — non steterunt : atque etiam ipsi inter se censes sua judicia tanti esse arbitrantur, ut alter alterius judicium non modo reprehendat, sed etiam rescindat ; ut alter de senatu movere velit, alter retineat.—Ibid. 43. Vide etiam Val. Max. l. ii. 9. 9.

[1] Hunc Antonium sex-

ennie, quo hæc dicerentur, Gellius & Lentulus censes senatu moverunt ; causamque subscripserunt, quod judicium recusarit, quod propter æris alieni magnitudinem prædia manciparit, bonaque sua in potestate non haberet. Asc. Pæd. in Orat. in Tog. Cand. Vid. it. Dion. l. xxxvii. p. 43. D. Vell. Pat. ii. 34.

Censors,

Censors, confirmed by the approbation of the people. *M. Vertot* seems to perplex the question; first, by considering the authority of the people, and that of the Censors, as opposite and inconsistent with each other in the creation of Senators, whereas they were both of them jointly necessary, to make the act complete: secondly, by asserting the censorian power to be the original and principal in that affair, whereas it was but secondary or ministerial, to the sovereign prerogative of the people.

About a month after the date of this letter, his Lordship sent me his own opinion on the same subject, drawn out at length, in the form of a dissertation; which he supported afterwards, and farther explained by a second; and finally defended by a third.

As soon as I had received the first of them, I immediately sat down to consider the argument again more precisely: and agreeably to the method observed by his Lordship, endeavoured to sketch out the legal and genuine state of the Roman Senate, through all the several periods, in which it had suffered any remarkable alteration, under the Kings, the Consuls, and the Censors: in pursuance of which design, as fast as I filled up my papers to the proper size of a letter, I transmitted them to his Lordship at different times and in different packets: all which I have now thought proper, for the sake of brevity and perspicuity, to connect into one continued letter, in the very words of the originals,

ginals, as far as they could be recovered from the imperfect notes, which I had taken of them, or at least, in an exact conformity to that sense, in which they were first written.

MY LORD,

WHEN your Lordship required my thoughts *on the manner of filling up the Roman Senate*, I gave them in the simplicity of my heart, the best, that occurred to me, on a subject, for which I was not then particularly prepared. I fancied, that I could dictate to your Lordship, as M. *Vertot* to Earl *Stanhope*; and recollecting, that I was writing to a court, thought it a part of good breeding, to keep clear of Greek and Latin. But your Lordship has fairly caught me, and, in your elaborate dissertation, given me a pattern, how I ought to have written on a question of learning, or at least, how to my Lord *Hervey*.

In my former letter, I chose to begin my account of the Senate, from that time, when its power and glory were at their height, and its history, the most worthy of our notice; when it was free in its deliberations, and open in its access, to the virtue of every citizen. But since your Lordship has thought fit to recur to its very origin, and to trace out its progress through every period of its duration, I think myself obliged to pursue the same method, and explain my thoughts on its original constitution and legal manner of supply, from the very
foun-

foundation of *Rome*, to the oppression of its liberty. But in order to place the subject of our debate in its true light, it will be necessary, to state precisely the different opinions, which we severally entertain about it.

Your Lordship's notion then is, "That, under the Kings of *Rome*, the choice and nomination of all the Senators depended wholly on the will of the Prince, without any right in the people, either direct or indirect: that the Consuls, who succeeded to the kingly power, enjoyed the same prerogative, till the creation of the Censors; who ever after possessed the sole and absolute right of making and un-making Senators.

My opinion on the contrary is, "that the Kings, the Consuls, and the Censors acted in this affair, but ministerially and subordinately to the supreme will of the people; in whom the proper and absolute power of creating Senators always resided." I shall proceed therefore, in the method above proposed, to examine, what evidence of facts, or grounds of probability can be found in favor of my hypothesis, through all the several periods of the Roman history.

I must confess in the first place, that, as far as our argument is concerned with the regal government of *Rome*, your Lordship has the Latin writers on your side, who constantly speak of the creation of Senators, as a branch of the royal prerogative. But in computing
the

the proper force of this evidence, we must remember, that none of those writers treat the question professedly, but touch it only incidentally; and that it is natural to all, upon the slight and occasional mention of an event, to ascribe it to the principal agent, concerned in its production; so as to impute the acts of popular assemblies to the Prince or ruling Magistrate, who convened and presided in them, and had the chief influence perhaps in determining the transactions themselves. Thus when *Livy* tells us, *that the Præfect of the city created the first Consuls; and that Brutus, one of these Consuls, created P. Valerius, his Collegue in that office; or that the Interrex on other occasions created the Consuls, or that the Pontifex Maximus was ordered by the Senate to create the first Tribunes* [1], he means nothing more, than that those Magistrates called the people together, in order to make such creations, in which they assisted and presided [2]. And as this is the usual stile of all writers, so it is peculiarly of those, who write the history of their own country, and for

[1] Duo Consules inde, comitiis centuriatis, a Præfecto Urbis, ex commentariis Servii Tullii, creati sunt. Liv. l. i. 60.

Brutus Collegam sibi comitiis centuriatis creavit P. Valerium. Ibid. ii. 2.

Is Consules creavit Q. Publum Philonem & L.

Papirium Curforem. Ibid. ix. 7.

Factum S. C. ut Q. Furius, Pont. Max. Tribunus plebis crearet. Ibid. iii. 54.

[2] Ibi extemplo, Pontifice Maximo comitia habente, Tribunos plebis creaverunt.

Ibid.

the information of their own people; who have not the patience to treat minutely of things, which they suppose to be known to their readers, as well as to themselves: and hence it sometimes happens, that the origin of customs and constitutions of the greatest importance are left dark and obscure, not only to strangers, but even to the natives of later ages.

The case however is different, with *Dionysius of Halicarnassus*; who professes to write for the instruction of strangers; and to explain the civil government of *Rome*, and the origin of its laws with the diligence of an Antiquary, as well as the fidelity of an Historian. This celebrated author then informs us, that when *Romulus* had formed the project of his Senate, consisting of an hundred members, he reserved to himself the nomination only of the first, or President of the assembly, and gave the choice of all the rest to the people, to be made by a vote of their Tribes and their Curiaë. Must we then prefer one Greek to all the Latin writers? Yes, as we prefer one credible and positive evidence, to many of a negative kind; or one, who searches things to the bottom, to any number, who, without the pains of searching, take up with the popular and vulgar accounts of things.

But of all the Roman writers, whom your Lordship has cited, as *Livy* is the chief, so he will be found perhaps to be the only one, who in the present case deserves any regard from us; the rest of them for the most part, being
but

but transcribers or epitomizers of him, rather than historians: so that in effect, it is the single credit of *Livy*, which, in the question before us, stands opposed to *Dionysius*, and where these two happen to differ, it cannot be difficult to decide, which of them ought to have the preference; nay, it is already decided by the judgement of all the best critics; who, upon the comparison, have universally preferred the diligence and accuracy of *Dionysius*, to the haste and negligence of *Livy* [1].

Let us proceed then with our history. Upon the peace and league of union made between *Romulus*, and *Tatius*, King of the *Sabins*, the number of the Senate, as *Dionysius* writes, was doubled by the addition of an hundred new members from the *Sabin* families; all chosen by the people in the same manner as before: in which account, he says, all the old writers concur, excepting a few, who declare the additional number of *Sabins* to have been only fifty [2]:

[1] Multa enim Dionysius de Romanorum ceremoniis religionibusque in Deos; non pauca de variis ritibus atque institutis, deque eorum legibus ac tota politica accurate diligenterque scripsit, quæ Livius cæterique Historici partim omnino prætermiserunt, partim leviter tantum stricimque attigerunt. H. Steph. in Dionys. c. 6.

Crius major fides in histo-

ria, quam *Livii*, *Tranquilli*, *Taciti*, *Arriani* Ant. Possévin.

Multis argumentis mihi persuasi, antiquissima hæc populi Romani gesta longe diligentius a *Dionysio*. Onuph. Panvin. Comm. in Fast. p. 62.

See the testimonies of authors prefixed to Hudson's edit of *Dionysius*.

[2] Lib. iii. 47. Edit. Hudson.

which may serve as a specimen of the diligence of this author's inquiries: whereas *Livy* is not only silent about this augmentation of the Senate, but, as your Lordship owns, expressly contradicts it. Yet all the later writers, and your Lordship with the rest, chuse to follow *Dionysius* in opposition to him: and if in this case of the augmentation, why not in the other, of the nomination of the Senators? for as far as the case can be determined by authority, the character of *Dionysius* will bear us out in adhering to him, preferably to all others; especially in points of antiquity, or things remote from their own knowledge. Let us examine therefore, in the next place, what facts may be collected within this period, to confirm the testimony of *Dionysius*.

All historians agree, that great powers and privileges were originally granted to the people by *Romulus*: who had no sooner secured his new city by a wall, than he began to provide laws for the citizens, because nothing else could unite a multitude into one common body [1]. This was his first care, according to *Livy*, and one of his first laws, according to *Dionysius*, was, to divide the people into *three tribes*, and each tribe into *ten curiæ*, for the more convenient method of voting and transacting the public business in their assemblies [2]. He had

[1] Vocata ad concilium
multitudine, quæ coalescere
in populi unius corpus nulla

alia re, præterquam legibus
poterat, jura dedit. Liv. i. 8.

[2] Dionys. l. ii. 7.

reigned eleven or twelve years before his union with the *Sabins*: which makes it probable, that he made this division of the people before that æra; and settled what was the first thing necessary, the form of his political government.

Each of the thirty *Curie* of *Old Rome* had a temple or chapel, assigned to them, for the common performance of their sacrifices and other offices of religion: so that they were not unlike to our parishes. Some remains of which little temples seem to have subsisted many ages after on the Palatine hill [1], where *Romulus* first built the city, and always resided: whence *Manutius* infers, that the institution of the *Curie* was previous to the union with the *Sabins*, since these were seated separately from the Romans on the *Capitoline* and *Quirinal* hills [2]: which confirms likewise the account of *Dionysius*, and takes off, what your Lordship alledges as an objection to it, that the *Curie* were not yet established, when he supposes the Senate to have been elected by them.

Again, it is agreed likewise by all, that *Romulus* instituted the *Comitia Curiata*; or the public assemblies of the people, called to vote in their several *Curie*; and that the matters subjected to their decision, were, the choice of all the magistrates, and the right of making of laws, war and peace. An ample jurisdiction, and in the most important articles of govern-

[1] Tacit. Annal. xii. 24.

[2] Dionys. l. ii. 50.

ment; yet not wholly absolute, as *Dionysius* says, unless the Senate concurred with them [1].

But this method of transacting all the greater affairs by the people, assembled in their *Curiae*, after it had subsisted through five successive reigns, was found to be inconvenient. For in assemblies so constituted, where every individual had an equal vote, the issue of all deliberations must depend of course on the poorer sort, who are always the most numerous, though not always the most reasonable or incorrupt; so that *Servius Tullius*, the sixth King, in order to correct this inconvenience, instituted a new division of the people into *six classes*, according to a *census*, or valuation of their estates: then he subdivided these classes into *one hundred and ninety three centuries*, and contrived to throw a majority of these centuries, that is, *ninety eight of them*, into the first class of the richest citizens: by which regulation, though every man voted now in his *Century*, as before in his *Curiae*, yet, as all matters were decided by a majority of the *Centuries*, so the balance of power was wholly transferred into the hands of the rich; and the poorer sort deprived of their former weight and influence in the affairs of state [2]: which wise institution was ever after observed through all

[1] *Dionys.* c. xiv.

[2] Non enim viritum suffragium eadem vi eodemque jure promiscue omnibus datum est: sed gradus facti, ut

neque exclusus quisquam suffragio videretur, & vis omnis penes primores civitatis esset. Liv. i. 43. it. *Dionys.* l. iv. 22, 21.

ſucceeding ages, in the elections of the principal magiſtrates, and the determination of all the principal tranſactions of the Republic.

Theſe facts, confirmed by all writers, ſhew the power of the people to have been extremely great, even under the regal government. It extended to the choice, not only of their Kings, but of all the other Magiſtrates, and I find no reaſon to imagine, that the Senators were excepted, or none at leaſt, ſufficient to balance the contrary teſtimony of ſo grave an author as *Dionyſius*.

On the demolition of *Alba* by *Tullus Hoſtilius*, ſome of the chief families of that city were enrolled likewiſe into the Senate. *Livy* reckons ſix, *Dionyſius* ſeven [1]: and *Manutius*, to make their accounts conſiſt with what is delivered concerning the limited number of the Senate, imagines, that theſe *Albans* were not created Senators, but *Patricians* onely, and by that means rendered capable of being choſen into the Senate on the occaſion of a vacancy. But it may be ſuppoſed perhaps with more probability, that the number of *Albans*, taken into the Senate at that time, was no more than what ſupplied the vacancies then ſubſiſting, ſo as to fill it up to its ſettled complement of two hundred. This affair, however, as *Dionyſius* intimates, was not tranſacted without the conſent both of the Senate and the people.

[1] Liv. i. 30. Dionyſ. lii. 29.

